7.6.E 50 99 4

CONSTITVTIONES REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS, ET D. D. BENEDICTI MANZOLI EPISCOPI REGIENSIS,

Et Principis, in Synodo Diœceſana editę.

MDLXXXI.



BONONIÆ, Apud Io. Roſsium. MDLXXXII.

Curiæ Epiſc. & S. Inquiſit. conceſſu.

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS, ET D.D. BENEDICTI MANZOLI

Epiſcopi Regienſis, & Principis Pręfatio ad Synodum.

IANDIV vos, *Fratres Reuerendi, & in hunc locum conuocare, & in huiuſmodi celebritate ſalutare vehementer deſidero: vt qui ſingulorum fidem, ſtudiumq; erga me iam ſatis perſpexi, eoſdem etiam vniuerſos, quaſi inſtructa acie commilitones acriter in Eccleſiaſtica verſari videam diſciplina. Sed rem me in hoc tempus varia, & iuſta impedimenta reijcere coegerunt. Vtinam quò ſerius hoc ago, idem eò maturius, decentiusq; præſtem. Equidem interea,*

quantum in me fuit, operam dedi, ne me laterent abuſus, ſi qui in eccleſiam noſtram irrepſiſſent, ne ve potentium fauore, diœceſi in tot ditiones diſpertita, vſquequaque difficili vteremur. Nonnullis etiã vel eodém nomine ſuſceptis à me itineribus, eã, quàm potui diligenter, in alienis Eccleſijs perſcrutatus ſum, quibus noſtra quoque ornari, aut augeri poſſe videretur. Multa etiam Romæ præſens obſeruaui, ac percontando edoceri ſtudui, quæ aliàs parum ad me pertinerẽ duxeram: quippè qui vocationis meæ adhuc neſcius, meæq; item imperitiæ memor, tantum aberat, vt in hac militia ad inſigniores hoſce aſpirarẽ titulos, vt ſatis haberẽ, ſi vnius manipularis munus rectè obijſſẽ. Neq; verò illud à me hoc tempore omnino prætermiſſum exiſtimo, vt vobis ſignificarem, quàm beneuolè, atque amanter inter vos verſari decreuiſſem: cum mihi vel ab initio perſuaſerim, me non tam ad anteactæ vitæ vacationem, quàm ad labores exantlatis longè maiores fuiſſe vocatum, atque adeo ad id ipſum vt me commiſſi mihi gregis cuſtodia dies nocteſquè ſolicitaret. Sperabam tamen hanc ſarcinam dorſo meo in dies leuius hæſuram. Sed nondum id mihi ſuccedere animaduerto. Zelus enim domus domini comedit me: obverſaturq; aſſiduè animo Regienſis Eccleſiæ antiqua ſanctitas, & amplitudo. Obuerſantur item tot pietate, ac prudentia clariſſimi præſules, quibus ſucceſſi:

in

in primis verò duo illi omnium celeberrimi, & ſanctorum catalogo adſcripti, Maximus, & Eccleſiæ Catholicæ ſplendidiſſimum lumen Proſper. præſertim cum is in aureis ſuis commentarijs, quæ nobis reliquit, grauiter adeo præſtantem inſtituat Sacerdotem. In mentem etiam veniunt Caroli, Berengarij, Lotharij, Henrici, aliiq; inuictiſſimi Imperatores, qui hanc Eccleſiam iuribus, & reditibus magnificè auxerunt, ſanctamquè paſſim in ſuis inſcribunt diplomatis. Huc accedunt tot inſignes, eæque integræ, vt cæteras prætermittam, ſanctorum reliquiæ, quibus illuſtratur, muniturquè hæc ciuitas: vt ſine magno animi mærore mecũ cógitare non poſſim, quàm amplus mihi homuncioni implendus ſit locus: quò prolapſa ſit res: quantàue facta ſit priſcæ exiſtimationis, auctoritatisq; iactura. Scilicet hæ, fratres Reuerendi, ſunt deliciæ meæ, huiuſmodi in hoc throno faſtus eſt meus, idemque veſter, quoniam membra inuicem ſumus. At enim quid hæc prodeſt tractare vulnera, niſi præſtò ſint medicamenta, quibus ſanari poſſint? Non deerunt profectò, non deerunt remedia, fratres Reuerendi, ſi de eorum vſu verum ſapientiæ Oraculum piè, vt decet, conſulemus. Huiuſmodi enim pharmaca de terrena hac valle petendà non eſſe, nos omnes periculo iam toties facto ſatis ſuperq; diſcere potuimus. Eia leuemus oculos noſtros in montes. auxilium noſtrum à domino. Ad illum cum

abſtinentia,

abſtinentia, & orationis feruore ſupplices confugiamus: maiorumq; noſtrorum imitemur ſimplicitatem, & charitatem; quibus officij ſui memoriam ſedulò colebant. nos verò vereor ne officij, dignitatiſq; noſtræ non adeo memores, aliud ſæpè agamus. Oculorum igitur aciem ad ſcopum reuocemus: munuſq; noſtrum nobiliſſimum omnium agnoſcamus. Officium enim Sacerdotis eſt (nam ad ſacerdotium cæteri referuntur Eccleſiaſtici ordines) vt eo internuntio, non ſolum populus cum Deo, ſed ipſe etiam Deus pro ſumma ſua clementia cum populo agat. Demus ergo operam, fratres Reuerendi, vt noſtras partes non perfunctoriè, ſed bona fide, ſerioq; agamus: redeamuſq; ad vetus patrum noſtrorum inſtitutum, Eorum inquam deuotionem, ſedulitatem, & grauitatem, itemq; ſacrarum litterarum, & meditationum, interdicta vagandi licentia, ſecretam per otium occupationem æmulemur. Arripiamus antiquam Eccleſiæ diſciplinam, ſine qua ne promiſſam quidem ſalutem aſſequi, aut amiſſam recuperare poſſumus dignitatem. Id verò vt factu facilius ſit, nos quidem ex ſacris canonibus, ex Concilio Tridentino, ex recentioribus ſummorum Pontificum ſanctionibus, ex vſu, & ex Illuſtriorum Epiſcoporum Synodis non nulla vobis excerpſimus, adhibitis in conſilium viris pijs, doctis, & prudentibus: eaque in pauca capita digerẽda curauimus. Vos quæſo accipite æquo

animo.

animo. non enim veſtris humeris imponuntur onera viribus imparia, ſed leuia profectò, ſi cum animi humilitate admittantur. Noſtri autem muneris functione placandus nobis eſt Deus: eademq; in officio retinendus eſt populus. nihil hic noui, nihil inauditi. Accipite obſecro æquo atque humili animo: itaque in ciuitate verſamini, dum hæc Synodus celebratur, vt hanc neſcio quam Eccleſiæ noſtræ inſtaurationem mihi populus gratuletur: et ego eiuſdem Eccleſiæ recuperatam vobis gratuler dignitatem, atque exiſtimationem: omneſq; vno ore ſanctæ, et indiuiduæ Trinitati gratias agamus, cui ſoli honor, & gloria in ſecula ſeculorum.

TABVLA EORVM, QVAE IN hoc opere continentur.

DE fidei profeſsione. 1
De doctrina Chriſtiana. 2
De Prædicatoribus. 4
De Ludimagiſtris. 5
De Hæreticis, ac de Hæreſi ſuſpectis, & publicè delinquentibus denunciãdis. 7
De Sacramentorum adminiſtratione, & primo de Baptiſmo. 8
De confirmatione. 13
De Euchariſtia. 15
De ſtatuendo modo proceſſionibus ſanctiſsimi Sacramenti. 18
De publica oratione ſanctiſsimi Sacramenti. 19
De miſſæ celebratione. 20
De Pœnitentiæ ſacramẽto. 24
De extrema vnctione. 31
Vt parochi aſsiſtant morientibus. 32
De funeribus. 32
De matrimonio. 36
De ordinis ſacramento. 39
De Parochis. 41
De dignitatibus, & canonicis. 45
De Manſionarijs. 46
De diſtributionibus. 46
De chori Vicario. 46
De organo, cantoribus, & clara voce in choro legentibus. 47
Ne laici in presbyterorum ſedibus aſsideant. 48
De Kalendario, & feſtis. 48
De vita, & honeſtate clericorum 49
De Eccleſijs. 51
De Seminario. 52
De locorum piorum adminiſtratoribus. 53
De rebus eccleſiaſticis nõ alienandis. 54
De regularibus. 55
De monialibus. 56
De confratribus. 57
De reliquijs. 58
De indulgentijs. 59
De quæſtuarijs. 59
De conſtitutionum obſeruatione. 59
Capitulum: Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentijs, & remiſsionibus. 60
Canones pænitentiales antiqui. 62

REVE-

CONSTITVTIONES

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS.

ET D. D. BENEDICTI MANZOLI EPISCOPI REGIENSIS,

Et Principis, in Synodo Diœceſana editæ.

MDLXXXI.

DE FIDEI PROFESSIONE.

OMNES, quicunque ſe Chriſtianos profitentur, fide vera, & ſincera ſine vlla hæſitatione præditos eſſe oportet; cum ea cæterarum virtutum ſit fundamentum, eademq; ſublata, placere Deo nemo poſsit. Fides vero ijs potiſſimum neceſſaria eſt, qui digniores in Eccleſia gradus aſſecuti ſunt; quippe cum illis nequaquam ſatis ſit rectè ſapere, & ſentire, niſi ipſimet ſuã etiam ſententiam cæteris explicare, & probare poſsint, vt ſuo exemplo impe-

imperitiores ad rectè credendum alliciant. Itaque ex Pij Papæ IIII. præſcripto, iiſdem pœnis indictis, quæ in eius litteris continentur, omnibus, & ſingulis non modo Clericis, qui beneficia cum animarum cura, aut dignitates, aut canonicatus poſſident; ſed doctoribus etiã, qui gradum in quauis facultate adepti fuerint; & magiſtris cuiuſcunque artis liberalis, tàm publicis, quàm priuatis præcipimus, ac mandamus, vt quamprimum, & ad ſummum intra menſem ab harum conſtitutionum publicatione, ſecundum earundem litterarum formulam, fidei profeſſionem edant, niſi iam ediderint. Poſthac verò nemo, niſi eadem edita, artes illas profiteri incipiat, aut ad vllius facultatis magiſterium promoueri poſſit. Ad huius autem fidei profeſſionem ſolemniter iterandam illos etiam hortamur, qui eam ità ediderunt, vt de iam edita, fide dignis litterarum monumentis docere non poſſint: ne quando facto in dubium reuocato, periculum ſubeant, cũ cauſam ſuam ſatis nequeant probare.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.
CAP. I.

ET ſi, qui in altiore dignitatis gradu collocati ſunt, atque vberiore eruditione ſunt repleti, quò magis in Eccleſia præſtant, eò plura explicita fide tenere debent; humiliores tamen, & imperitiores ſalutem à Deo promiſſam non conſequuntur, niſi principia quædam doctrinæ diuinitus traditæ explicitè, vel implicitè credant. Quapropter illi, qui animarum curam exercendi onus ſubierunt, propriam animam periculo æternæ mortis obijciunt, niſi ſubiectos ſibi prima fidei rudimen-

ta doceant. Parochi enim officiũ non in eo ſolum verſatur, vt ſacramenta petentibus cõferat, ſed pro captu etiã inſtruendus eſt populus. Decernimus igitur, ac mandamus, vt non ſolum in ciuitate, & oppidis inſignioribus noſtrę diœceſis, ſed exrra etiam in qualibet parochia doctrinæ Chriſtianæ ratio habeatur; quam ſingulis Dominicis, & alijs diebus feſtis ex Eccleſiæ præcepto, parochi in templo hora ab ipſis præſtituenda, doceant, arbitrio noſtro puniendi, ſi id facere neglexerint. Quod, vt facilius fiat, hortamur in domino magiſtratus omnes ſeculares, vt auxilium, & fauorem eis præſtent, ac dent operam, vt ad eandem doctrinam percipiendam non modo pueri, ſed alij etiam, qui illa, indigent, conueniant: ijdem præterea curent diligenter, vt qua hora ſancta hæc coletur diſciplina, nullus publicis ſpectaculis, nullus feſtis, choreis ſit locus. Si non alio in loco, at certè alia hora, quàm ea, qua pueri, & viri docentur, puellæ quoque in eadem doctrina erudiantur. Quod vt melius ſuccedat, mulieres aliquas honeſtas, & adhoc negotium ſuſcipiendum idoneas parochi hortabuntur, vt tam pio muneri aliquid operę, & auxilij præbeant. Vt autem plures reperiri valeant, qui operis iſtius adminiſtri, & adiutores eſſe velint, omnis diligentia adhibeatur, vt doctrinæ Chriſtianæ ſocietates, vbi iam ſunt, conſeruentur; vbi non exiſtunt, inſtituantur; & indulgentiæ huiuſmodi confratribus conceſſæ publicè ſæpe recitentur. Voluimus autem, vt omnes in diœceſi noſtra hoc munus tàm docendi, quàm diſcendi obeuntes, illis doctrinæ Chriſtianæ libellis vtantur, qui à nobis probati, in ciuitate ſunt in vſu.

CAP. II.

PRęter doctrinam Chriſtianam, parochi qui Eccleſiarum ruſticanarum curam gerunt, meminerint omnibus diebus Dominicis, antequam dies feſtos pręnuncięt, Symbolum Apoſtolorum; Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam primum latino, deinde Italico vulgari ſermone clara voce recitare; vt imperiti, qui doctrinæ Chriſtianæ intereſſe nequeunt, ſaltem illa perdiſcere valeant.

DE PRAEDICATORIBVS.

CAP. I.

CVM maximum fructum afferant Chriſtianis conciones ſacrę, & diuinorum verborum explicationes, iuſtum ducimus populis illis concionatorem dari, quibus adhuc de more datus eſt, cum præſertim ex ſacri Tridentini Concilij decretis ſatis conſtet, ad quemnam ſpectet curare, vt is victum neceſſarium, & labori ſuſcepto conuenientem eleemoſinam habeat. declaratum eſt enim ad eos pertinere, qui id hucuſque facere conſueuerunt. Hortamur autem parochianos, vt frequentes concionibus interſint; eaſque in alias etiam Eccleſias, vbi audiri non ſolent, quãtum fieri poterit, induci optamus, ne deſideretur fructus, vbi ſuppeditari commodè poteſt ſumptus.

CAP. II.

HOc adeo nobile, & ſanctũm prædicandi officium qui ſibi in diœceſi noſtra committi optauerint, ante duos menſes, quam tempus id exequendi adueniat, no-

bis ſignificent vbi alijs annis idem munus obierint, vt facilè patere poſsit, quomodo ſe geſſerint, & quantum verbis, & exemplo profecerint: & deinde, priuſquam officio ſuſcepto fungi incipiant, coram nobis, vel ſi abfuerimus, coram Vicario noſtro generali compareant, vt examinentur; niſi aliàs fuerint examinati; atque cum illo populo, apud quem conciones ſunt habituri, quomodo agendum ſit, admoneantur.

Cap. III.

Religioſorum præfectos hortamur, vt curent eruditos, ac probos, itemq; ad hoc miniſterium idoneos ſuis familijs adſcribi, vt noſtræ potius diœceſi, quã alienæ inſeruientibus hoc officium delegare poſsimus.

Cap. IIII.

Qui prædicandi munus ſuſceperint, exemplo, & doctrina populum in recta fide, & vitę ſanctitate continere ſtudeant. Ab audiendis autem abſtineant confeſſionibus, niſi id quoque à nobis impetrent, aut aliàs fuerint à nobis adhoc munus admiſſi.

DE LVDIMAGISTRIS.

CAP. I.

Nihil eſt, quod maius ciuitatibus detrimentũ afferat, & religionem etiam Chriſtianam magis aliquando lædat, quàm mala puerorum educatio, & praua ludimagiſtrorum diſciplina, nimiaque eorundẽ indulgentia. Cui incommodo vt occurratur, parentes omnes obnixè in domino hortamur, & rogamus, vt eam diligentiam adhibeant in rectè filijs educandis, quam res tanti momenti

menti poſtulat: Et omnes ludimagiſtros monemus, vt ſibi commiſſos pueros ſtudeant non in litteris ſolum exercere, ſed bonis etiam, ac ſanctis moribus exornare, eoſdemq; pie, & Chriſtianè inſtitutos in officio retinere. Nihil eis prælegant, quod laſciuum ſit, nihil quod honeſtati repugnet: vitia corrigant: curent, vt ad Chriſtianã doctrinam ediſcedam in conueniant: concionibus ſacris, quæ publicè habentur, interſint: luſibus minus liberalibus non dent operam: diebus feſtis miſſam ſaltem priuatam audiant; quamuis optimi exempli eſſet, ſolẽnem etiam audire; & veſperarum officio adſint præſentes. Iiſdem diebus feſtis, omiſſis profanis ſtudijs, ſanctorum vitas, vel patrum homelias perlegant, vt indies magis ad pietatem Chriſtianam accendantur; ne cum ex pueris exceſſerint, eruditiores in ethnicorum ritibus, & geſtis, vt proximis annis accidiſſe vidimus, quàm in diuina lege, & ſacris hiſtorijs deprehendantur.

CAP. II.

QVia verò hucuſque quidam abuſus obtinuit, vt omnes, cum ſibi collibitum eſt, hoc docendi officium ſuſcipiant cum magna puerorum pernicie, quos, cum ipſi ſint imperitiſſimi, inſtruere affectant, huiuſmodi licentiam, quantum in nobis eſt, compeſcere cupientes, ſtatuimus; vt nemo in poſterum ludum aperiat, vel aliter alios docere audeat, niſi profeſſione fidei coram nobis, vel Vicario noſtro edita, diligenter fuerit examinatus, & dignus iudicatus, qui ad illud officium admittatur.

CAP. III.

VT autem hæc omnia obſeruentur, ſingulis menſibus curabimus, vt ſcholæ viſitentur, & fideliter, quic-

quicquid contra hanc conſtitutionem geſtum, omiſſum uè fuerit, ad nos referatur.

DE HAERETICIS, AC DE HAERESI SVSPECTIS, ET PVBLICE delinquentibus denunciandis.

AD retinendam hanc ciuitatē, & diœceſim, in ea fidei integritate, in qua hucuſque ſummo Dei beneficio conſtanter perſtitit, nihil ferè magis accommodatum reperitur, quā totis viribus eniti, vt principijs malorum obſtetur, ne ſi radices profundiores agant, perdifficile poſtea ſit illa extirpare. Præcipimus itaque omnibus, & ſingulis parochis, vt nobis, vel Vicario noſtro quam primum denuntient, ſi quos in parochia ſua reperiri ſciāt hæreticos: libros prohibitos legentes, vel tenentes: aut aliàs de hæreſi ſuſpectos: magos: ſortilegos: ſuperſtitioſos; eos item qui varijs modis faſcinant: qui in paſchate ſanctiſſimum Chriſti corpus non ſumpſerint: & propria peccata probato Sacerdoti confeſsi non ſunt, niſi legitimam cauſam non communicandi habuerint. Nempè quia probabiliter parochi iudicio timeatur, ne in idem peccatum ſtatim recidant; Vel quia in pęnam à canone, aut à confeſſario eis iniunctum ſit, vt defferant: Vel quia Paſchatis tempore reſeruati Sanctiſſimo D. N. caſus abſolutionem nondum habere potuerint: Aut alio deniq; iuris impedimento cōmunicare prohibeantur. Denuncient etiam eos, qui publicè Deum, vel ſanctos blaſphemant: qui diebus feſtis miſſæ ſacrificio non interſunt: qui arctiorem, quam æquum eſt, cum infidelibus conſuetudinem habent: non ſolū vſurarios publicos, ſed eos etiā,

qui contractus de vſuraria prauitate ſuſpectos faciunt: qui ſeorſum à proprijs coniugibus, vel in concubinatus peccato, vel in alia quauis enormi, & publica ſorde viuũt: qui ſacramentis, & rebus ſacramentalibus abutuntur: & qui beneficia per ſimoniacam labem adepti ſunt, vel in confidentiam eadem acceperunt. Hęc tamen omnia, quę de iſta denunciatione ſtatuimus, non eo pertinent, vt peccata in pœnitentię Sacramento adminiſtrando cognita detegantur; non enim licet ea reuelare; Sed vt illorũ nomina ad nos deferantur, à quibus crimina nuper dicta commiſſa fuiſſe aliàs, quàm per confeſſionem ſecretam cognitum eſt. Eoſdem etiam parochos monemus, vt in ſolemnioribus ſaltem feſtiuitatibus populum ſibi commiſſum admoneant, vt ſi quos nouit paulo ante enumeratis peccatis obnoxios, eos quamprimum, vt diximus, nobis, vel Vicario noſtro denunciet, vt tantis morbis congruam medicinam facere valeamus.

DE SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONE.

ET PRIMO DE BAPTISMO. CAP. I.

NE imperitis aliqua detur occaſio, de varia cæremoniarum ratione, quæ in Sacramentis adminiſtrandis adhibentur, diſceptandi; decernimus, & mandamus, vt tàm in ciuitate, quàm in tota noſtra Diœceſi vno, eodemque ritu ſacramenta conferantur.

Cap. II.

DOctrinę Catechiſmi Romani inhærentes, ſtatuimus, vt ſola ſanctorum nomina baptizandis imponantur; ne eorum parentes melius erga ethnicos, quàm christianos animati eſſe; & magis impiorũ, quàm ſanctorum memoria delectari videantur. Iuſtis etiam de cauſis edicimus, vt vnum ſolum nomen ſingulis detur, niſi de more ex duobus vnum componatur.

Cap. III.

PArochi nomina tàm baptizandorum, quàm patrinorum in libro ad hunc tantummodo vſum comparato, & cautè cuſtodito, cum tempore, quo baptiſmus illis collatus eſt, deſcribant. Quem librum paſſim non oſtendant, cum huiuſmodi conceſſione ſæpe abuti contingat. Sed ipſi parochi, quando ita expedire ſibi videbitur; & ad eorum, quorum intereſt, petitionem; exemplum ex libro petitum; quod veluti teſtimonio ſit, conficiant.

Cap. IIII.

CVm ex parochorum morte, vel mutatione, poſſit facile contingere, vt libri huiuſmodi amittantur; præcipimus omnibus, & ſingulis animarum curam in diœceſi exercentibus; & in ciuitate illi, cui baptizandi onus impoſitum eſt, vt in cuiuslibet anni fine, baptiſmi, & confirmationis libros, vel exempla ab eis ſumpta ad nos deferant, vnà cum matrimoniorum libro; quem etiã parochi omnes ciuitatis afferent, in Archiuio noſtro reponendos, atque cuſtodiendos.

Cap. V.

ABuſus quidam irrepſerat, quem quamuis iam ſublatum confidamus, opportunum tamen ei remediũ adhibendum in poſterum eſſe duximus. Nonnulli enim Sacerdotes, cum infantes ab obſtetricibus domi baptizati ad eos deferebantur, iterum ſub conditione; nempè NISI ESSENT BAPTIZATI, eos baptizabant, non ſine ſacrilegio, & tanti ſacramenti contemptu. Quod ne deinceps accidat, omnibus parochis, & alijs baptizandi officium exercētibus pręcipimus, vt ſemper antequam aliquem ſacro fonte abluãt infantem, deferentes interrogent, an ſit baptizatus; atque quibus verbis, & qua materia id geſtum ſit, diligenter perſcrutentur. Tunc, ſi comperetint verba legitima, & materiã conuenientem cum debita intentione fuiſſe adhibitam, cęremonialia quidem perficiant, ſed a baptiſmo abſtineant: alioquin, præter irregularitatis maculam, quam contrahent, ſeuerè etiam à nobis punientur. Peruulgata enim forma illa cum exceptione, in ijs ſolum permittitur, in quibus re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, an baptiſmum ritè ſuſceperint.

Cap. VI.

CVm autem non rarò infans ad hoſpitale portetur adligata collo ſchedula, in qua aut eius nomen, aut eundem baptizatum eſſe incerto teſtimonio ſit ſcriptũ; ureq; propterea dubitetur, an ſit baptizatus; ad euellendum huiuſmodi ſcrupulum, ſtatuimus; ſi quidem ad ſit fide-digna perſona, quæ cum ſeruata forma, & materia debita baptizatum fuiſſe teſtificetur; iterum non eſſe baptizandum. Si vero deſit, qui baptiſmi exhibiti fide dignus

dignus teſtis exiſtat, non obſtante illa ſchedula, cuius auctor ignoratur, baptizandum; cum exceptione tamē NISI SIT BAPTIZATVS, nam iteratum nō dicitur, quod an geſtum ſit, non temerè dubitatur.

CAP. VII.

CVm nihil hominis anima, pro qua Chriſtus mortuus eſt, pretioſius reperiatur, valde cauendum eſt, ne infantes Chriſtianorum, antequam baptizentur, pereant; atque vna cum corporis morte, animæ etiam interitum aliquorum negligentia eis accerſat. Sub excommunicationis igitur pœna, & alijs arbitrio noſtro imponendis, pręcipimus, vt nemo infantis baptiſmum vltra diem decimum differre audeat; cum ætas illa multis repentinis, & inopinatis morbis ſubiaceat.

CAP. VIII.

NVllus in domo priuata, atque omnino extra Eccleſiam baptizetur, niſi fortè iuris præfulgeat prærogatiua, aut mortis propinquę periculum immineat: & tunc, ſi ſuperuixerit infans, ad Eccleſiam deferatur, vt cæremonialia, quæ in baptiſmo priuatim exhibito omiſſa fuerint, expleantur.

CAP. IX.

MEminerint, qui baptiſmum infantibus præbuerint, eorum domeſticos admonere, vt diligenter curent, ne mater, aliaue mulier; niſi expleto anno; illos in lecto ſecum habeant. Deinde patrinos doceant, inter quas perſonas ſpiritualis cognatio fuerit contracta: quiſue ſit eius, præſertim in impediendis matrimonijs effectus: & demum quodnam officium præſtare infanti-

bus ex ſacro lauacro ſuſceptis, teneantur, negligentibus id parentibus: in primis ſcilicet ſalutis illorum curam habere, & elementa doctrinæ Chriſtianæ, cum per ætatem eam percipere poterint, docere. Quòd vt commodius facere poſſint, placuit hic apponere Diui Dionyſij Areopagitæ verba, obligationem illam ita explicantis. *Profiteor me huic puero ſuaſurum, cum intelligere ſacra poterit per ætatem, diuinis meis inſtitutionibus, vt, & nunciũ remittat aduerſarijs, atque ab eis deficiat, et profiteatur, exoluatque diuina promiſſa.*

Cap. X.

CVm patrini ſuſceptos infantes in Chriſtiana pietate, & vitæ ſanctitate inſtituere teneantur, nemoq. id docere, quod ignorat, aut ſi vitioſus ſit, alios ad virtutem allicere poſsit; exempla enim magis quàm verba mouere ſolent; decernimus; vt patrinus in poſterum is eſſe nequeat, qui orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Apoſtolorum Symbolum neſciat: nequè verò qui non ſit eo anno confeſſus, quiuè ſacram Euchariſtiam ſemel in anno à proprio parocho non ſumpſerit. Interdicimus etiam eiuſdem muneris functionem publicis vſurarijs; & aliis, qui enormibus peccatis populo notis, ſunt irretiti: nec admittendos cenſemus vtriuſuis ſexus parentes: neque niſi à nobis impetrata licentia ſacerdotes, & clericos tàm ſeculares, quàm regulares. Quibus autem prohibemus ne in baptiſmi ſacramento patrini ſint; iiſdem etiam interdicimus, ne huiuſmodi munere fungãtur in confirmatione; in qua vel illud prohibemus, ne quis nondum confirmatus, vllius confirmandi patrinus eſſe poſſit.

Cap. XI.

NE autem ex auaritia, aut impietate, vt factum aliquando accepimus, fraus fiat ſacramento, caueant parochi, & baptizandis infantibus præfecti, ne Iudæos, aut alios infideles ſine noſtra licentia baptizent, niſi in caſu neceſſitatis. Alioqui in eoſdem parochos animaduertemus; cum prius à nobis pro rei dignitate inueſtigandum ſit, quàm ſincerè ad baptiſmum veniant: ijdemque antequam admittantur, fidei rudimentis imbuendi ſint, ſi per ætatem id liceat.

Cap. XII.

NE, cum neceſſitas poſtulat, vt infans iam iam moriturus, ab obſtetrice, vel ab alio in domo priuata baptizetur, contingat propter imperitiã in forma aliauè re neceſſaria errari, atque verè Sacramentum non exhiberi; mandamus parochis omnibus, vt, ſi non ſæpius, at certè ter in anno, non ſolum obſtetrices, verùm etiam populum publicè doceant, quænam ſit forma debita, quæue materia conueniens baptiſmi, & qualem baptizantis intentionem eſſe oporteat.

DE CONFIRMATIONE.

Cap. I.

CVM tempus illud imminebit, in quo Sacramentum cõfirmationis conferre conſueuimus, gregem ſuum parochi ad illud ſuſcipiendum hortabũtur, & quatenus fieri poterit, dabunt operam, vt omnes, ſaltem cum duodecimum annum tranſegerint, illius participes facti ſint. Admonebunt etiam omnes parentes, & propinquos

pinquos, qui puerorum curam habent; Sicut nos præſenti conſtitutione monemus; ne eos ad idem Sacramẽtum ſuſcipiendum mittant, niſi iam ſeptimum annum expleuerint: eius etiam vim, effectum, & vtilitatem explicare conabuntur: quod facilè efficere poterunt, ſi ea, quę eodem Sacramento in Romano Catechiſmo litteris mandata ſunt, diligenter perlegerint.

Cap. II.

NObis, vel alijs Epiſcopis, quibus poteſtatem fecerimus, hoc Sacramentum in diœceſi noſtra miniſtrantibus, illud ſuſcipientium, & patrinorum nomina à Notarijs noſtris deſcribantur: qui poſtea permittent inde exemplũ ſumere in ciuitate quidem eum, qui baptizandi officio fungitur; in diœceſi vero parochos. Ipſorum enim valde intereſt ſpirituales iſtas cognationes cognoſcere; cum æquè impediant, & dirimant matrimonia, ac illæ, quę à baptiſmo proueniunt.

Cap. III.

INſtante itidem confirmationis tempore, parochi tàm confirmandos, quam eos, qui patrinorum munus obire volent, hortabuntur, vt priuſquã id fiat, per pœnitẽtiæ ſacramentum contractas peccatorum maculas abolere ſtudeant: cum turpe ſit, eos, qui à Dei gratia propter perpetrata crimina, exciderunt, nondũ reconciliatos, vel ſacramentum ſuſcipere, vel pro ſuſcipientibus Deo fide iubere. Idem etiam, vt ab ijs fiat, qui ex baptiſmi fonte aliquem ſunt ſuſcepturi, dabunt operam parochi; qui denique admonebunt confirmandos, ne ad petendũ hoc ſacramentũ accedãt, niſi ieiuni; quod maxima eius dignitas, & præſtantia, vel potiſsimum poſtulare videtur.

DE

DE EVCHARISTIA.
CAP. I.

STatuimus, vt iuxta laudabilem totius orbis Chriſtiani conſuetudinem, ſanctiſſimum corporis Domini Sacramentum debito cũ honore in omnibus parochialibus Eccleſijs, & in illis etiam, quæ monaſterijs coniunctæ ſunt, non autem in Oratorijs, aut ruſticanis Eccleſijs curam animarum non habentibus, cuſtodiatur. Ante illud diu noctuq; lampas ardeat. Ne verò amplius dubitare contingat de comparando oleo, is ne ad parochos, an ad parochianos pertineat ſumptus; quamuis ad parochianos ſpectare videretur; cum ipſorum neceſſitatis cauſa in Eccleſia cuſtodiatur, vt queat, quacunque hora opus ſit, ægrotantibus miniſtrari; quia tamen multa bona relicta ſunt Eccleſijs animarum curam habentibus, vt facilius onera huiuſmodi ſuſtinere poſsint, decernimus, ſi Eccleſia ſatis cõmodos reddi tus habeat, vt ſcilicet fructus, ſummam quadraginta aureorum excedant, pro dimidia parochum, & pro alia dimidia parte parochianos teneri: ſi verò ad eam ſummam non perueniant, totum id onus ad parochianos ſpectare debere; illa enim fructuum quantitas vix ad parochi vitam ſuſtentandam videtur poſſe ſufficere. At ſi fructus adeo ſint vberiores, vt rectori ad huiuſmodi onus, & ad victum ſufficiant, parochiani ad illud perferendum ne cogantur.

CAP. II.

COllocetur idem ſacramentum ſuper altare maius in conuenienti, decentiq; cuſtodia, niſi nos iuxta Eccleſia-

cleſiarum qualitatem, & formam, re maturè perpenſa, aliter expedire iudicauerimus.

Cap. III.

IN deferendo eodem Sacramento ad infirmos, dent operam parochi, vt iuſtus, debituſq. honor illi adhibeatur. Inuitentur ſaltem campanæ ſonitu parochiani, vt ad illud cum accenſis cereis proſequendum conueniant. Cum extra ciuitatem, & oppida inſignia defertur, adſit laterna lumen vndiq. incluſum continens, quod ventus extinguere nequeat: & cum viæ propter limum, aut glaciem lubricæ exiſtunt, vel fluuij aliqui ſunt tranſeundi; ad euitandum in terram cadendi periculum; in ſacculo ad collum ipſius ſacerdotis pendẽte, vaſculum, in quo Sacramentum collocatum ſit, appendatur: atque ita ad locum, in quo iacet infirmus, geſtetur. Duas particulas in pyxide Sacerdos portet, quarum vnam ægrotanti præbeat, alteram deinde, eodem, quo dictum eſt, modo, ad Eccleſiam referat: niſi cum procul ab Eccleſia extra ciuitatem, & caſtella nobilia proficiſcitur: quia tũc opus non erit particulam illam deferre, quæ deinde ad Eccleſiam reportari debeat; ſed eam ſolam, quæ ab infirmo ſumenda eſt: & tunc, cum reuertitur Sacerdos, meminerit ſtolam, atque ſuperpelliceum exuere, ne occurrentibus detur occaſio inane vaſculum, veluti ſi adeſſet Sacramentum, adorandi.

Cap. IIII.

HAbeant parochi librũ, in quo omnes vtriuſq. ſexus parochiarũ ſuarum deſcripti ſint; vt facilius intelligant, an aliqui in paſchate ſacramentorum ſumptionem neglexerint: & pueros, cũ ad diſcretionis annos peruenerint,

rint, iudicio confeſſarij, & ſuo monere poſſint, vt ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere incipiant: ex quo libro ſicut mortuos delebunt, & diem mortis adnotabunt; ita naſcentes eodem modo ſubinde adſcribent.

Cap. V.

INtra monialium chorum, aut earum monaſterij ſepta ſanctiſsimum Chriſti corpus nequaquam conſeruetur; ſed in exteriore, & publica omnino ſit Eccleſia, ex Concilij Tridentini præſcripto.

Cap. VI.

STatuimus etiã, vt Capitulũ OMNIS VTRIVSQVE SEXVS de pœn.& remiſs.à parochis prima, & quarta Quadrageſimæ Dominicis publicetur; ne vllam parochiani ignorantiam eius poſsint excuſare. Parochos etiam teneri volumus ſtatim poſt Dominicam in albis eos nobis denunciare, qui vel ſanctiſsimam Euchariſtiam in paſchate non ſumpſerint, vel confeſsi non fuerint, niſi, vt ſupra dictum eſt, legitimè impediti ab ea abſtinuerint.

Cap. VII.

LAicorum communio, vt noui Miſſalis cæremoniæ ſeruentur, non fiat miſſæ toto peracto ſacrificio; Sed ante poſtcommunionem vocatam, ſimul atq; Sacerdos ſacramentum ſumpſerit. Ne tamen contingat aliquem recedere miſſa non expleta; Sacerdotes parochianos admoneant, eandem miſſam non peractum iri, niſi prius illis ad communionem admiſsis, qui tunc ſacramentum ſumere voluerint.

Cap. VIII.

MEminerint etiam parochi illud ſibi commiſſum populum docere, ne ab ijs quidem ſatisfactum fuiſſe præcepto eiuſdem canonis. OMNIS VTRIVSQVE SEXVS, qui probato confeſſario propria peccata confeſsi fuerint; & communicauerint: niſi in eadem communione proprij parochi, vel, eo permittente, alterius Sacerdotis, miniſterio vſi fuerint.

DE STATVENDO MODO PROCESSIONIBVS Sanctiſsimi Sacramenti.

Cap. I.

OMnia quidem facienda ſunt, vt huius Sacramenti veneratio non in cordibus tantum fidelium augeatur; ſed foris etiam priuato, & publico cultu quàm clariſsimè eluceſcat: præſertim cum hac ætate in variis Chriſtiani orbis prouinciis hæretici, & perfidi homines tanto Sacramento debitum honorem habere deſierint: Veruntamen danda eſt opera, ne, dum hoc etiam, atque etiam inculcatis proceſsionibus honorare ſtudemus, nimia iteratione deuotio deferueſcat. Statuimus itaque, vt in eiuſdem ſacramenti faciendis proceſſionibus hic ordo, & modus ſeruetur. In ciuitate quidē mane diei feſti ſolennitatis ſanctiſsimi Sacramenti ſola cathedralis Eccleſię proceſſio ex more celebrabitur: aliarum autem parochialium, & collegiatarum diebus infra octauam, iuxta diſtributionem, quam eis faciemus: & excepta proceſsione cathedralis; cæteræ limitibus pro-

priæ parochiæ nequaquam excedent. Eandem proceſſionem obibunt parochi etiam diœceſani, in ſupradicto die feſto, ſinguli per ſuam parochiam; qui omnes tàm ciuitatis quàm diœceſis parochi, in proceſsionibus, quas ſingulis menſibus facere conſueuerunt, nunquam extra Eccleſiam, vel ad ſummum extra cœmeterium eas ducendo, progredientur.

CAP. II.

DEcernimus etiam, ne vnquam idem Sacramentum viſibile in vaſculo ſuper altare collocetur, niſi, in ciuitate quidem, & parochialibus extra ciuitatem ſitis, in ſolennitate eiuſdem diei feſti; in parochialibus verò ciuitatis eo die, quo infra eiuſdem feſti octauam, vt nuper dicebatur, proceſſio ſolemnis celebrabitur; obtenta tamen ſemper à nobis prius licentia in ſcriptis. Proponatur etiam viſibile in quadraginta horarum oratione; & omnibus diebus feſtis in Eccleſia illa, ad quam oratio ſacramenti vocata, publicè fuerit indicta, & aliàs nunquam: Sed poſt cõmunionem, aliumue ſacramenti vſum, ſtatim in cuſtodia claudatur.

DE PVBLICA ORATIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI.

LAudabile inſtitutum orationis publicę coram ſanctiſſimo Sacramento faciendę, debito fauore proſequentes, indulgentiam quadraginta dierum omnibus cõcedimus, qui illud, cum ad præſtitutam Eccleſiam defertur, deuotè proſecuti fuerint. Hortamur etiam omnes, vt ſæpè ad Eccleſiam eandem oraturi accedant. Et

quia valde curæ nobis eſt, parochiarum concordia, ea ne vllis diſceptationibus, quoad fieri poteſt, perturbetur; ſtatuimus, vt in ciuitate ſingulis menſibus mutetur parochia, in quam cum proceſsione debita, vltima cuiuſque menſis Dominica, poſt Veſperas Sacramentum ex more deferatur, ita vt incipiendo à noſtra cathedrali, ſubinde nullo tamen dignitatis parochiarum ordine ſeruato, ad alias omnes transferatur, atque diebus feſtis, cum eo, vt fieri conſueuit, populo benedicatur. Simulatq; autem fuerit ad vnam parochialem Eccleſiam delatum, ſequenti denuncietur, iuxta ordinem, quem conſtituerimus: vt ſatis haberi poſſit ſpatij ad eam inſtruendam; vias ornandas; & ea reperienda, quæ ad meritum ſacramento honorem exhibendum requiruntur. Quod ſi alicuius Eccleſiæ populus ſe id vel non curare, vel non poſſe ſumptus facere dixerit, illa pro ea vice omiſſa, ad aliam ſequentem ordine procedatur. Finito autem toto parochiarum circulo, iterum ad cathedralem veniatur, cui aliæ modo nuper relato ſuccedent.

DE MISSAE CELEBRATIONE CAP. I.

IN Sacroſancto miſſæ ſacrificio peragendo valde cauēdum eſt, ne quid peccetur. Nam quo præſtantius eſt, quod agitur, eo pernicioſior eſt error, qui in eo committetur. Celebraturus igitur, ſi ſibi cōſcius peccati alicuius mortalis ſit, Sacerdoti à nobis probato, habita eius copia, confiteatur; cum eo caſu contritio ſola non ſufficiat. Quod ſi defuerit confeſſarius, & neceſsitas celebrandi vrgeat, contritus celebret, & cum

primum

Primum poterit, omiſſam confeſsionem perficiat. Nemo ante auroram, aut poſt meridiẽ miſſam celebret; neque extra Eccleſiam, aut oratoria à nobis deſignata, & approbata; ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs arbitrio noſtro infligendis; Vtantur omnes cæremonijs ab Eccleſia in Miſſali reformato inſtitutis: nullum verbum addant, auferant, aut immutent; omnia rectè perlegant: quod vt facilius fiat, priuatim prius miſſam meditando videant, quàm eam publicè recitent. Nimis celeriter, aut nimis tardè eam non pronuncient. Non patiantur in Eccleſia mendicari: aut quomodocunq; à priuatis perſonis eleemoſinam peti; niſi nobis aliquando ex cauſa aliter expedire viſum fuerit: ſeruentq; omnino ad hoc pertinentes litteras ſanctæ mem. Pij Papæ quinti, ne pœnas in eis ſtatutas incurrant. In monialium Eccleſiis, ſine noſtra, vel Vicarii noſtri licentia nemo celebret. Ad nouam miſſam celebrandam nullus accedat, niſi in ritibus, & cæremonijs ita verſatus ſit, vt probabile ſit, eum nullum errorem eſſe commiſſurum; & à nobis, vel à Vicario noſtro licentiam obtinuerit: ſine qua etiam neminem peregrinum ſacerdotem, aut aliàs incognitum admittent ij, qui Eccleſiæ, ſeu ſacriſtiæ curam gerunt. ſub carceris pœna, & alijs etiam grauioribus arbitrio noſtro imponẽdis, interdicimus, ne in miſſis nouis, vel earum occaſione ludi fiant; aut ſaltationes, choreæue ducantur: ne ad miſſam, vel ad conuiuium tibicines, vel alij ſimiles conuocentur: ne ve ea vllo modo extra Eccleſiam dicatur.

CAP. II.

SAcerdotes miſſam celebraturi, non modo decentes veſtes ſacras induant, ſed ſub eis etiam conuenientia ordini indumenta habeant. Menſarios cultellos, ſi quos

geſtent,

geſtent, eos ita veſtibus tegant, vt nullo modo conſpici poſſint. Quamuis ſtatim iter facturi, non calcaribus, aut ocreis viatorijs induti, ſed iuxta conſuetudinem calceati celebrent. Cum ad altare acceſſerint, caueant, ne in eo biretum, vel aliud ab altaris miniſterio alienum collocent.

Cap. III.

TVrpe eſt Sacerdotem iam iam celebraturum confabulari, perinde, ac nihil aliud habeat, quod cogitare, & meditari tunc debeat. Quapropter indicta pœna per annum ſuſpenſionis à diuinis, ſacerdotibus omnibus prohibemus, ne, cum ſacris veſtibus ſunt induti, cum aliquo, niſi neceſsitatis cauſa, vel ſermonem habeant, vel deambulent.

Cap. IIII.

VT facilius omnes, qui ſunt in Eccleſia, noſſe queãt, quando, & ad quod altare ſanctiſſimum Chriſti corpus in miſſa eleuetur; atque illud, vt conueniens eſt, adorare: ordinamus, vt clericus, qui ſacerdoti ſeruit, cũ id agitur, tintinnabulo ſignum det; idquè fiat in ſingulis miſſis, quæ in quacunque Eccleſia celebrabuntur.

Cap. V.

CVrent parochi, vt diebus feſtis ad miſſam audiendam ſui conueniant parochiani.

Cap. VI.

ALtare, in quo miſſæ dici debent, tribus linteaminibus decentibus ſit opertum: corporalia, & pallæ ex lino conficiantur, & ſint mundiſſima: quæ, ſicut & purificatoria,

ficatoria, cum ſint immunda ab ipſis ſacerdotibus, vel diaconis, vel ſubdiaconis abluantur: non autem à laicis, niſi prima iam ablutione facta. Primæ ablutionis aqua in ſacrarium effundatur; itemque aqua ablutionis manuum, poſt ſacra olea contacta. Iccircò in ſingulis ſacriſtijs, aut eccleſijs iuxta maius altare locus aptus, & decens ad aquam illam, & alia ſimilia effundenda, quod ſacrarium conſueuit appellari, conſtruatur.

Cap. VII.

Omnibus, & ſingulis ſacerdotibus, qui tenẽtur, eleemoſinæ, quam accipiunt, ratione, miſſam celebrare, ſub excommunicationis pœna, & alijs arbitrio noſtro imponendis, præcipimus, ne quacunq; occaſione, aut prętextu plus vnam eleemoſinam extraordinariam pro ſingulis miſſis accipere audeant. quam ne ſemper ijdẽ presbyteri, cæteris excluſis, percipiant; ſed omnes huiuſmodi emolumentorum participes efficiantur, hic ordo, & modus ſeruetur. Quando aliquis eleemoſinam offerens, miſſam ex voto, vel alia de cauſa ſibi celebrari expetit, is, qui primus alioquin etiam erat in eccleſia celebraturus, illius piæ perſonæ deſiderio ſatisfaciet. Eleemoſina verò in capſa deponetur eo modo, quo illa ſolet, quæ ad altare priuilegiatum in noſtra cathedrali pertinet. Exacto deinde trimeſtri tempore omnes illæ eleemoſinæ inter illius Eccleſiæ ſacerdotes pro rata miſſarum, quas celebrauerunt, diuidentur. Hocque locum habere volumus non in cathedrali ſolum, ſed in omnibus etiã tàm ciuitatis, quàm diœceſis collegiatis, atque alijs eccleſijs, in quibus plures ſacerdotes miſſas celebrare conſueuerunt.

Cap. VIII.

HOrtamur omnes, qui legata pro miſſis in perpetuũ, vel ad longum tempus dicendis relinquunt, ad illa tam pinguia inſtituenda, vt Sacerdos obligationi ſatisfa-cturus, congruam eleemoſinam, quæ eius quotidiano victui ſufficiat, habere poſſit.

DE PAENITENTIAE SACRAMENTO.

Cap. I.

IN pęnitentiæ ſacramento, cum cæterorum quoque adminiſtratio ſummam poſtulet diligentiam, ſingularis quidem adhibenda eſt ſolertia: quippe cum in eo ſine certiſſimo animarum periculo peccari ferè non poſſit. Vt itaque errandi occaſioni omnino occurratur, Concilij Tridentini decretis inhærentes, ſtatuimus, vt nullus ſacerdos, ſiue ſecularis, ſiue regularis in ciuitate, & diœceſi noſtra audeat confeſſiones ſecularium etiam ſacerdotum, audire; vel abſolutionis ſacramentalis munus obire; niſi aut parochiale beneficium obtinuerit; aut prius ab examinatoribus noſtris examinatus, & admiſſus, & à nobis approbatus fuerit. Alioquin eos quam poterimus, ſeuerisſimè puniemus. Examinatores neminem ad examen admittent, niſi, ſi ſecularis ſacerdos fuerit, fide in ſcriptis à proprio parocho facta de bona conſcientia; vita proba, & honeſta fama; & ab vno ex notarijs noſtris, quod nunquam de aliquo crimine condemnatus, vel inquiſitus fuerit: quæ tamen inquiſitio ei non nocebit, ſi plena ſecuta fuerit abſolutio.

tio. Si autē fuerit regularis; habeat à ſuo ſuperiore earū-dem rerum teſtimonium, in quo, etiā onerando propriā conſcientiā, ſuperior aſſeueret eum talem eſſe, vt meritò poſsit ad tantū miniſterium admitti. Peracto examine, dent vota ſua examinantes nō palàm, ſed ſecretò per fabas albas, & nigras; aut per ſchedulas approbationis, & reprobationis quid ſibi videatur, declarent. Qui iam à nobis audiendi cōfeſſiones licentiam in ſcriptis impetrarunt, in officio abſque alio examine perſeuerare poterunt. Alij verò, cum examen habebitur, ad illud venire, & approbationem noſtram petere tenebuntur.

Cap. II.

CAueant confeſſarij omnes, ne à caſibus Sanctiſsimo D. N. vel nobis reſeruatis aliquem abſoluant. Quod ſi facere auſi fuerint; non ſecus puniẽtur, quàm ſi non admiſſi confeſſiones audire præſumpſiſſent. Nequam verò excuſare poſſint ignorantiam, ſtatuimus, vt qui ſunt admiſsi, non prius officium hoc excercere incipiant, quam, ſi non omnibus, at vni certe de examinatoribus conſtare fecerint, ſe habere bullam in cæna Domini legi ſolitam, & alios caſus vel ſanctiſsimo D. N. vel nobis reſeruatos, & aliquam ſummam caſuum conſcientiæ, quam examinatores ſingulorum captui accommodatam eſſe iudicauerint. Examinatores autem teneri volumus ſaltem ter ſingulis annis eoſdem confeſſarios paterno affectu interrogare; vt obſeruare poſsint, & nobis referre quantum profecerint.

Cap. III.

ADhibeant confeſſores diligentiam, & patientiam in audiendis pœnitentibus. Scrutentur contritionem,

nem,& vitæ corrigendæ propoſitum. Sciſcitentur, an tempus idoneum in præparatione poſuerint. Dent operam, vt res alienæ, & fama ablata reſtituantur. Inuigilent in tollendis peccatis, quæ in hac ciuitate, & diœceſi ſunt frequentiora. Quòd facile fiet, ſi ad ſacramēta frequentanda pœnitentes hortabuntur;& quo modo peccādi vitetur occaſio, docuerint; ac Dei timorem ante oculos conſtituere laborauerint; atque in primis non abſoluerint facile illos, qui ad eadem peccata ſæpè redire cōſueuerunt. Præcipuè verò caueant, ne eos, qui in confeſſione ſemel, vel ſæpius famam ablatam, vel res alienas reſtituere promiſerunt, & habita præſtandi facultate perficere neglexerunt, abſoluant; niſi (dummodo poſſint) prius re ipſa facta reſtitutione. Neque illos ad confeſsionem admittant, qui vnum confeſſarium adierunt, & ab eo reiecti ad alios ſe contulerunt: ſed ad primum remittant; niſi diligenter cauſa conſiderata eorum audire confeſsionem expedire iudicauerint: cum nihil ferè improbitatem hominum magis foueat, quàm cū vnus vult pęnitentem corrigere,& ille ad alium, quem mitiorem arbitratur eſſe, confugit. Hortentur etiam, ne facilè confeſſarios mutent, cum eorum quoque qui corporis morbis mederi ſolent, varietas, & multitudo mortem accelerare ſoleat. Vtantur omnes eadem abſoluendi forma: abſoluantq; prius ab excommunicatione, quatenus ipſorum auctoritas extenditur, quàm à peccatis. Quòd ſi facultatem ab excommunicatione abſoluendi non habeant, ne à peccatis quidem abſoluant; niſi prius illa impetrata. Quod vt facilius exiſtat, iam pœnitentiarium conſtituimus, cui poteſtatem fecimus abſoluendi ab exceſſibus illis, & cenſuris, quę nobis ſunt reſeruatæ. Caueant demum, ne mulieres, & pueros, qui decimū octa-

uum annum nondum exegerunt, audiant, niſi publicè in Eccleſijs; & de die, non nočtu; niſi vrgens neceſſitas aliud poſtulet.

Cap. IIII.

NE quandoq; contingat aliquem per errorem confiteri ſacerdoti non approbato, & iccirco abſoluendi facultatem non habenti; in omnibus parochialibus, & regularium Eccleſijs in ciuitate, in euidenti loco tabula, in qua admiſſorum nomina notata ſint, proponatur. Quod fiet etiam in oppidis, & locis inſignioribus diœceſis, vbi plures ſunt, qui audiendi confeſſiones auctoritatem habent. Parochi etiam, Paſchæ, Pentecoſtes, & Natiuitates Domini, vel alicuius Iubilei tempore, ſuæ curæ ſubiectos admonebunt, vt eius, cui confeſſi fuerint, nomen ad ſe referant: vt ſi ex admiſſorũ numero non extiterit, eos monere poſſint, vt alteri confiteantur.

Cap. V.

CVm ex apoſtolicis priuilegijs regulares admiſſi omnium ſeculariũ confeſſiones audire poſſint, declaramus, ſacerdotes etiã ſeculares ſimiliter admiſſos eadẽ facultate in tota noſtra diœceſi gaudere. Sciant tamen tàm regulares, quàm ſeculares, ſe non poſſe id munus in aliorum eccleſijs, niſi de rectorũ, vel ipſorum vices gerentium, licentia exercere. Norint etiam confeſſarij probati, quamuis in diœceſis aliquo loco pænitentiæ ſacramentum miniſtrent, ſe non poſſe eorum, qui in ciuitate ſunt, confeſſiones audire: ſed diœceſanorum ſolum miniſterio debere incumbere; quod iuſtis de cauſis, & præſertim ne diœceſis pænitentiæ miniſtris careat, præcipimus.

CAP. VI.

NEmo monialium confeſsiones, ſine licentia noſtra, vel ſuperiorum ſuorum; ſi nobis non ſint ſubiectæ; audiat; ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis.

CAP. VII.

CAnones pœnitentiales ab omnibus confeſſarijs habeantur; vt pœnitentibus poſſint oſtendere, quam nam pœnitentiam promeriti fuiſſent; niſi Eccleſia, vt pœnæ illæ mitiores reddi poſſent, conceſſiſſet.

CAP. VIII.

COntingit aliquando, vt probari debeat, aliquis confeſſus ne ſit; an non: Iccirco decernimus, vt omnes confeſſarij; in libello ad eum vſum comparato; notent, cum anno, menſe, & die, eorum nomina, quorum confeſsiones in Paſchate audiuerunt.

CAP. IX.

PArochos monemus, vt populum hortentur, cum in paſchate Euchariſtiam ſumpturus eſt, vt confeſſio ſaltem octo dierum ſpatio communionem præcedat.

CAP. X.

SAcerdotes, quamuis non celebraturi, ſi non ſæpius, at certè ſingulis menſibus peccata ſua ſacerdoti cōfiteantur. Alioquin grauiter arbitrio noſtro punientur; vſque ad dimidiæ partis fructuum omnium, quos poſſident, beneficiorum, amiſſionem.

Cap. XI.

POenitens, antequam inchoet confeſsionem, de ſingulis caſibus interrogetur, ſiue nobis, ſiue Sanctiſſimo D. N. reſeruatis; qui veriſimiliter in illum cadere poſſunt.

Cap. XII.

COnfeſſarij, cuiuſuis bullæ indulgentiæ, etiam plenariæ, prætextu, neminem à reſeruatis abſoluant, niſi de huiuſmodi facultate expreſſa mentio in illis habeatur litteris; & caueant, ne permiſſionis fines tranſgrediatur; vt ſi facultas à Papalibus ſimpliciter abſoluendi datur, non abſoluant ab his, qui continentur in Bulla Cœnæ Domini. Idem dicimus de reſeruatis nobis. Et ſi loquatur de caſibus, non abſoluant à votis.

Cap. XIII.

AD euitandam omnem auaritiæ ſuſpicionẽ, caueant diligenter confeſſarij, ne cuiquam eiuſmodi ſatiſfactionem imponant, vt ſibi, aut propriæ eccleſiæ, aut monaſterio pecuniam ſoluat; neque verò miſſas dicendas, in quas eroganda eleemoſina ad ipſos, vel ad Eccleſiam, monaſteriumue eorum peruentura ſit: nequeat etiã, inconſultis nobis, malè ablatorum depoſitarij eſſe.

Cap. XIIII.

HOrtamur in domino clericos, & Sacerdotes ad caſuum conſcientiæ prælectionem frequentandã; vt tàm ij qui nunc audiendi confeſſiones officio funguntur; quàm qui ad illud aſpirant, ea, quæ neceſſaria ſunt, perdiſcere valeant.

Cap.

CAP. XV.

CONſtitutioni fe. re. Pij Papæ V. inhærentes, omnes, & ſingulos medicos monemus, vt cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia hortentur, vt idoneo confeſſario iuxta S. R. E. ritum confiteantur: neque tertio die vlterius eos viſitent, niſi eis per Syngrapham à confeſſario ſcriptam conſtiterit, illos fuiſſe confeſſos, vel confeſſario iuſta de cauſa visũ fuiſſe confeſſionem differre. Quod niſi fecerint; præter pœnas in Innocentij III. decretali indictas, illas incurrent, quæ in eiſdem litteris continentur. Eandem etiã conſtitutionem ſecuti mandamus, vt nullus poſthac in ciuitate, & diœceſi noſtra medicinæ creetur doctor, niſi prius in noſtris, vel prioris collegij manibus iurauerit coram Notario publico; qui de hoc actu inſtrumentum conficiat; ſe prædicta omnia obſeruaturum. Quod etiã facere teneantur illi, qui ſiue alibi doctores creati, ſiue eum gradum nuſquam aſſecuti, facultatem medendi in hac ciuitate, & diœceſi impetrare voluerint. Quod ſi collegium, non præſtito tali iuramento, aliquos ad gradum illum promouerit, vel poteſtatem eis medendi fecerit, in eam incurret pœnam, vt alios poſtea doctores creare non poſſit. Fiat autem huius iuramenti ſuſcepti mentio in priuilegio etiam, vel licentia. Qui verò iam promoti ſunt, vel licentiam medendi obtinuerunt, nullo eiuſmodi facto iuramento, illud iuxta prædictas litteras, quamprimùm præſtent.

CAP. XVI.

MOnemus etiam omnes ægrotantium propinquos, vt parochum de infirmitate certiorem faciant, & vna

vna cum eo infirmos ad confeſſionem hortentur, atque inducant.

Cap. XVII.

PRæcipimus demum ſub excõmunicationis latæ ſententiæ pœna, omnibus vtriusq; ſexus, tàm in ciuitate, quàm in diœceſi commorantibus, ne audeant parochis prohibere acceſſum ad ægrotum viſendum, & ei ſacramenta miniſtrandum. Quam pęnam incurrant illi quoque, qui ægrotum teſtari vetuerint.

DE EXTREMA VNCTIONE.

PArochi infirmos ſæpè inuiſant: eos conſolentur: ad patientiam, & Dei amorem, ac timorem cohortentur: ſciantq; ſe grauiſsiſſimè peccare, ſi tempus ægrotanti ſacramentum extremæ vnctionis miniſtrandi expectent, cum iam omnis ſalutis ſpe amiſſa, vita, ac ſenſibus carere incipiat. Ad vberiorem enim ſacramenti gratiam percipiendam plurimum valet, ſi ęgrotus adhuc mente integra, fidem, ac religioſam animi voluntatem afferre poſſit: effectusq; huiuſmodi ſacramenti eſt etiam ſanitatis corporis, vbi ſaluti animæ expedierit reſtitutio: præter delictorum, ſi quæ ſint adhuc, expiationem; ac reliquiarum peccati abſterſionem; & animæ infirmi alleuationem, & confirmationem. Caueant parochi, ne ſanos, quamuis mortis periculum adituros inungant: Sed infirmos tantum grauiter laborantes; & ſemel ſolum in ſingulis morbis. Si tamen recidiua fuerit infirmitas, nihil impedimento erit, quin denuo poſſint eos inungere.

VT PAROCHI ASSISTANT MORIENTIBVS.

QVia verò humani generis hoſtis; quamuis nunquam deſinat, dum viuimus, de interitu noſtro cogitare; nullo tamen vnquam tempore vehementius omnes vires exercet, vt nos omnino perdat; quàm cùm ſupremum vitæ diem appropinquare animaduertit; omni diligentia parochi laborare debent, vt eo tempore, in fide, ſpe, Dei charitate, & timore, infirmi confirmentur. Eos igitur tunc præſertim verbis, & pijs ad Deum effuſis precibus adiuuare ſtudeant: neque ſe ſatis officio proprio feciſſe exiſtiment, ſi commendationem animæ recitauerint: Sed quatenus fieri poteſt, morientibus aſſiſtant. Præſentia enim ſacerdotis dæmonum vires valde profligat: & in agone conſtitutis deſperationem aufert.

DE FVNERIBVS.

CAP. I.

IN funeribus deducendis, vt ordinatim, & compoſite procedatur; omnes confratres, ſacerdotes, & clerici, tàm ſecu- lares, quàm regulares ad id officium exequendum vocati, in Eccleſiam parochialem, intra cuius limites iacet defunctus, conueniant; niſi conuocatum ſit noſtræ cathedralis capitulum; tūc enim ipſam cathedralem adibunt: inde quiſq; loco ſuo, vt in proceſsionibus fieri conſueuit, domum defuncti verſus progrediatur, & deuotè pſalmos recitando, vel cantan-

do, corpus in Eccleſiam vſque, in qua ſepeliri debet, comitetur: nec recedat, niſi perfecto officio, & ad locum ſuum corpore delato. Qui verò id non fecerint, toto quatuor menſium ſpatio, ad nullas exequias vocari, aut ſi vocentur, accedere poſsint; ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs arbitrio noſtro imponendis: quas ſubeant illi quoque qui ſcienter eos vocauerint.

Cap. II.

IN exequijs, diebus ſeptimis, & alijs defunctorum officijs celebrandis, nullo modo permittatur, vt inſignia, quæ arma vocant, intra Eccleſiam affigantur, cum turpe ſit videre aliquando maximum huiuſmodi inſignium numerum muros ferè vniuerſos contegere. Permittitur tamen id fieri in Epiſcoporum, & aliorum maiorum prælatorum, ac principum officijs; dummodo intra octo dies auferantur. Inſignia autem cæterorum, quibus ea extra Eccleſiam tãtum affigi fuerit permiſſum, auferantur intra quatuor dies. Neque fiant in eccleſiis funerales ſermones in cuiuſcunq; perſonę funere ſine noſtra, aut Vicarij noſtri licentia.

Cap. III.

AD tollendas contentionum occaſiones, quæ oriuntur aliquãdo ex edictis, quibus ſacerdotes ad miſſas pro alicuius anima celebrãdas inuitantur; ſtatuimus, vt pro vno ſolum officio ſingulis diebus edictum, proponatur. Quod, vt melius procedat, quolibet anno ſacerdos eligetur, cuius iuſſu huiuſmodi edicta extabũt. In eis verò affigendis id obſeruabit, vt eum cæteris præferat, qui prior ad requirendum fuerit.

Cap. IIII.

PRæcipimus etiam omnibus, cuiuſcunq; conditionis exiſtant, ſacerdotibus, & clericis, ne tàm in funeribus, & pro ſepultura, quàm in miſſis dicendis audeant vllo prætextu aliquid petere; vel exigere, aut eo nomine conqueri, quaſi minus acceperint, quã ſibi deberetur; cũ illud vniuerſum pro eleemoſina detur; eaque a dantis voluntate omnino proficiſci debeat; ſed eo ſint contenti, quod in prædictis omnibus ſibi datũ fuerit, iuxta tamẽ piam, & laudabilem conſuetudinem, cui nullo modo derogare intendimus. Alioquin per annũ integrum ad exequias, & mortuorum officia vocari, aut aliquid vtilitatis inde quoquomodo reportare nequeant. Quam pęnam ſubibũt illi quoque, qui vocauerint ad funus, & exequias; vel eleemoſinæ participes fecerint eos; qui contra præſentem conſtitutionẽ commiſerint. Eadem poena dupli cetur, ſi quis auſus fuerit pro celebratis miſſis petere, vel petente alio tribuere, plus ſingulas eleemoſinas ſingulis ſacerdotibus, qui in illa eccleſia celebrauerint. Qui autem eleemoſinis diſtribuendis præfecti fuerint, ſi per acceptionem perſonarum, vel diſcrimen inter æquales iuſtæ querellæ cauſam aliquibus dederint, non leuiter ipſi quoque corripientur; Nulla enim debet differentia eſſe inter eos, qui eiuſdem ordinis, vel gradus, vel dignitatis exiſtunt. Aliquid tamen amplius dabitur dignitati, vel canonico, aut parochis officium facientibus, & clericis vexillum, crucem, & dupleria geſtantibus, iuſto eius arbitrio, qui funeris curam habebit; poterit etiam panis dari orphanis vtriuſq; ſexus, quamuis alijs non præbeatur.

Cap. V.

OFfenduntur nõnunquã laicorum cõſcientiæ, dum vident ſacerdotem vnum velle alio citius celebrare; quod præſertim in miſſis, quæ pro defunctis dicuntur, ob earum multitudinem contingere conſueuit. Quæ ſcandali occaſio, vt penitus tollatur, decernimus, vt nemo, niſi ſacriſtæ iuſſu, vel parochi, vbi in eccleſia nõ adeſt ſacriſtæ officium, ad miſſam celebrãdam exeat, ſub vnius aurei pro ſingulis vicibus pœna, & in ſubſidiũ ſuſpẽſionis à diuinis. Eodem modo punietur ſacriſta, & parochus, ſi celebrãdi tẽpore prius emittet poſterius veniẽtes; prius enim is celebrare debet, qui prior ad locũ, in quo ſacerdotalia indumenta accipi conſueuerunt., acceſſerit.

Cap. VI.

PRouidendum etiam eſt, ne miſſarum cauſa, cathedralis, & collegiatarum eccleſiarum chori ſacerdotibus plane deſtituãtur. Præcipimus igitur ſacerdotibus omnibus, qui admiſſi ſunt ad diſtributiones quotidianas, ne à choro recedant, dum officia recitantur, cauſa ſe ad miſſam parandi: neque eadem ratione in ſacriſtia commorentur, ſub pœna, tàm canonicis, quàm alijs, amiſſionis diſtributionis: quam præterea omnino amittent illi etiam, qui cum licentia à choro receſſerint, celebrandi cauſa. Propterea ſacriſta, quatenus fieri poterit, curabit, vt ij, qui choro intereſſe debẽt, miſſas alia hora celebrent, quã ea, qua horę canonicę, vel miſſa decantãtur.

Cap. VII.

NVllum funus noctu deducatur: ſed ſemper ſaltem in occaſu ſolis ſepulturæ officium expletum ſit: ne

tenebræ occaſionem rixarum; vt aliquando accidiſſe accepimus, præbeant.

Cap. VIII.

SAcerdotes paſſim, cum eis collibitum eſt, pro defunctis miſſam principalem dicant; omiſſa illa, quæ de die dicitur, prçter quam ſi dominica, aut feſtum ſolenne occurrat. In alijs enim diebus vnuſquiſq; ſuæ deuotioni ſatisfacere poterit; ſeruata tamen ſemper in prædictis rubrica generali miſſalis de defunctorum miſſis. Cum verò officium mortuorum recitant, nocturnum diei accommodatum, non autem ſemper primum, vt adhuc fieri conſueuiſſe audiuimus, vnà cum laudibus integris, & earum pſalmis, pronuncient.

Cap. IX.

QVod ad pauperum ſepulturam attinet, parochos, & populos eorum curæ creditos hortamur, vt laudabilem morem in ſingulis parochijs inſtitutum ſequantur. Oeconomos quoque domus charitatis, & fratres tertiarios monemus, vt ex more ſuo hoc ſanctum opus complectantur, & exequantur.

DE MATRIMONIO.

Cap. I.

PArochi, ſi non ſæpius, at certè in die Epiphaniæ, & octaua Paſchæ; tunc enim finem accipit interdictio nuptiarum, publicent etiam lingua Italica decretum ſacri Concilij Tridentini ad reformationem matrimonij pertinens, & illud ſeruent, atque à ſuis parochianis ſeruari faciant. Nunquam, niſi de noſtra licentia publica-

publicationes remittant; eaſque non faciant niſi diebus feſtis. Peregrinos, & aduenas, niſi re ad nos delata, ad contrahenda matrimonia non admittant. Moneant ſponſos ne cohabitent, donec rite matrimonium cōtractum fuerit; adhibita etiam benedictione cum miſſa ad præſcriptum miſſalis (ſi ſint nuptię, quæ benedictionem requirant) amborum contrahentium, vel alterius tantum. Per ſe ipſos matrimonia, ſicut & benedictionem celebrent; niſi legitime impediantur; tunc enim vices ſuas alteri ſacerdoti committere poterunt. Vbi nullum adſit impedimentum, publicationes, nuptias, & benedictionem nunquam differant: & in libro peculiari, vt aliàs in viſitatione ſtatutum fuit, omnes matrimoniorum cōtractus fidiſſimę conſcribant. Caueant parochi, ne, nobis inconſultis, eos, eaſuè publicēt, qui, quæuè alijs promiſerunt. Hortentur ſponſos ad pęnitentiæ, & ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, antequam matrimonio coniungantur, vel ante conſummationem illius. Si in parochia ſint coniuges ſeparati, dent operam, vt reconcilientur: quod ſi parochi per ſe ipſos facere nō poſſint, nos certiores faciant. Idem præſtent etiam in concubinis, & viris, qui earum fruuntur conſuetudine, eoſque à peccato remouere ſtudeant. Niſi id ſucceſſerit, ad nos referant. Cum autem pluribus monitionibus coercendi ſint ex canonum diſpoſitione, quamprimum tribus diebus dominicis continuis noſtro nomine, primo, ſecundo, & tertio, ac peremptoriè ſinguli parochi omnes concubinarios moneant, vt infra octo dierum ſpatium concubinas eijciant; neque amplius ſub eodem cum eis tecto conſpiciantur; & concubinas, vt à viris illis diſcedant; quia alioqui contra eos procedemus, & in delinquentes ſeuerè animaduertemus.

Cap. II.

ADmoneat parochus populum, per fornicationem quoque comparari affinitatem impedientem,& dirimentem matrimonium poſtea contractum; licet ea ad primum,& ſecundum tantum gradum reſtringatur; Iccirco non minorem diligentiam adhibendam eſſe in huiuſmodi affinitatibus reperiendis; quam in conſanguinitatibus, & affinitatibus illis, quæ ex vero matrimonio trahunt originem.

Cap. III.

NOn omittantur ſponſarum benedictiones, ſed debita cum reuerentia celebrentur. Non fiant tempore interdicti matrimonij, neque ſponſa abſente ſponſo, aut ſponſus abſente ſponſa benedicantur; niſi id alterutrius poſtulante bigamia. Peragatur ſemper benedictio mane, poſt ortum ſolis, in Eccleſijs,& non in domibus priuatis cum miſſæ celebratione, & ſolẽnitatibus, quæ requiruntur. Nemo audeat ſponſis alterius parochiæ benedicere, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda: Laborentq; parochi, vt, dum benedictio fit, à laicis impudica, vel ridicula verba non proferantur.

Cap. IIII.

PVerperij tranſacto tempore, mulieres ad portam Eccleſiæ conueniant, & per parochum, iuxta S. R. E. ritum intrò ducantur.

DE

DE ORDINIS SACRAMENTO.

Cap. I.

QVi ad aliquem ſacrum ordinem promoueri optauerit, id parocho proprio, ſaltem triginta diebus ante ordinationum tempora ſignificet. Parochus primo ſequenti die feſto inter miſſarum ſolennia id populo prænunciabit; deinde quid ſecutum fuerit inde nobis ſignificabit, vt nos quoque qualis fuerit promouendi vita,& mores cognoſcere valeamus. Is cum examinis tempus aduenerit, teſtimonium ætatis,natalium, ſtudij, & tituli ſecum deferet, ac demum examini ſe ſubijciet; & ſi ad ſubdiaconatum promouendus erit, fide iubebit ſe non alienaturum patrimonium, ad cuius titulum promoueri affectat, donec vel ex Eccleſię redditibus, vel aliunde ſuppetat, vndè, iudicio noſtro vitam exigat: quæ fideiuſsio inter acta curiæ noſtræ conſeruetur. Quanti autem minimum eſſe debeat patrimonium ad ſuppeditandum clerico victum, nos, loci, & perſonæ qualitate conſiderata, arbitramur.

Cap. II.

QVi prima tonſura, vel aliquo ordine ſunt initiati, ad altiores ordines non promoueantur,niſi in Eccleſia, cui adſcripti fuerunt,in eo ordine, quem ſuſceperunt, miniſtrauerint; ac diebus feſtis ex præcepto in cathedrali;vel in collegiata; dummodo in loco domicilij eorum ſit Eccleſia eiuſmodi; horis canonicis cum ſuperpelliceo interfuerint.

Cap.

Cap. III.

VT ſciri poſſit, an clerici alicuius Eccleſiæ miniſterio addicti, illi ſeruierint, notárijs noſtris mandamus, vt in ordinationum ſuarum litteris de hac additione mentionem faciant.

Cap. IIII.

QVamuis exorciſtatus ordo propriè ad malignos ſpiritus expellendos pertineat, & ad id fuerit inſtitutus; quia tamen adoleſcentibus, vt plurimum timidis conferri ſolet; & alijs rationibus, animum noſtrum mouentibus; omnibus, & ſingulis clericis, & ſacerdotibus etiam regularibus, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, ipſo facto incurrenda, & alijs ad arbitrium noſtrum interdicimus, ne audeant, vel præſumāt, ſine noſtra, vel Vicarij noſtri, conceſsione, aliquos energumenos exorcizare, vel ſuper eos legere; aut ſulphur, aliauè medicamenta adhibere.

Cap. V.

MOnemus omnes minoribus ordinibus initiatos, vt ſaltem in Domini noſtri IESV Chriſti, & Beatæ Mariæ Virginis feſtiuitatibus, ſanctiſsiſſimum Euchariſtiæ ſacramētum ſumant, & diaconos, & ſubdiaconos, quacunque dignitate, ac prærogatiua fulgeant, vt ſi non ſæpius, at certè ſingulis menſibus idem facere non omittant.

Cap. VI.

QVi ad presbyteratus ordinem prouecti ſunt; ſaltem diebus dominicis, & feſtis ſolennibus miſ-

ſas

ſas celebrent: ſi autem curam habuerint animarum, tàm frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant.

DE PAROCHIS.

CAP. I.

MEminerint examinatores in Synodo electi penitus ſeruare ſacri Tridentini Concilij decreta ad examen prouehendorum ad parochiales Eccleſias pertinentia; & ea ſæpè perlegant; ne ex negligentia, aut obliuione aliquis error cõmittatur. Aucti quibuſcunq; beneficijs cũ animarum cura teneantur à die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes in manibus noſtris, ſeu Vicarij noſtri fidei edere profeſſionem ad præſcriptã formam. Admiſſus ſtatim det operam, vt coram maſſarijs Eccleſiæ quorumcunq; bonorum ad eandem eccleſiam ſpectantiũ inuentariũ conficiatur, cuius tria fiãt exẽpla; eorumq; vnum ad nos deferatur, alterum penes Parochũ, & tertiũ penes antiquiorẽ ex maſſarijs remaneat.

CAP. II.

DIligenter Parochi, ijs omnibus inuigilent, quæ ad ſuum officium ſpectant, præſertim adminiſtrandis ſacramentis, atque animarum curę exercendæ. Caueant ſummopere, ne quis ipſorum negligentia ſine ſacramentis moriatur. Abuſus tollant. Euangelium feſtis diebus explicent. Doctrinam Chriſtianam doceant. Caſus, quibus excommunicatio incurritur, vel peccatum mortale, ſæpè declarent. Hortentur ad ſacramenta frequentanda. Non patiantur armatos cum archibuſijs, & haſtis Eccleſiam ingredi. Sacerdotes alius diœceſis, nobis nõ

F conce-

concedentibus ad celebrandum, vel prædicandum non admittant. Eijciant quæſtuarios, vel quoſcunq; eleemoſinarum petitores, qui id, facultate à nobis non impetrata, facere auſi fuerint, niſi illis à iure ſit permiſſum. Nequè indulgentias, aut nouas reliquias ſine noſtra licentia publicent. Cum ſacramentum aliquod pluribus præſentibus miniſtrant, & cũ publicè in Eccleſijs officia quęlibet recitant, ſint ſemper ſuperpelliceo, & ſtola induti. Sacra olea quotannis ab Eccleſia matrice accipiant: & pro eis accipiendis ſolos clericos in ſacris ordinibus cõſtitutos, dummodo fieri poſsit, allegent. Claues locorum, in quibus ſacramenta cuſtodiuntur, penes nullum alium, quam parochum ipſum, vel, ſi neceſſitas ita poſtulet, ſacerdotem alium, cui vices ſuas mandauerit, ſeruẽtur. Quæ ſacramenta in alium vſum, quàm cuius cauſa à domino inſtituta fuerunt, non conuertantur. Frequẽtent ſtatutis diebus, vt aliàs eis mandatum fuit, congregationes; in quibus diligenter curent, vt ſi quæ corrigenda ſunt, corrigantur. Lectio ſpiritualis præſertim caſuum conſcientiæ adhibeatur, atque ſacerdotes proprijs officijs ſanctè, & piè fungantur.

Cap. III.

CVm peccatum mortale non remittatur, niſi reſtituatur ablatum, neque quis ab eodem peccatò abſolui poſsit, dum in eo perſeuerat; maximum perditionis animę periculum, ij adeunt, qui, cum parochiales eccleſias obtineãt, apud eas aſsiduè non reſident. Nam ex Concilij Tridentini decreto mortalis peccati labem contrahunt, & fructus ſuos non faciunt. Cuius quidẽ criminis non poſſunt non eſſe participes Epiſcopi, & Prælati, dum quodãmodo conniuendo videtur illis aſſenti-

ri. Vt igitur hæc ruinarum animæ occaſio auferatur, omnibus, & ſingulis in ciuitate, & diœceſi noſtra ad Eccleſias cum animarum cura promotis ſub pœnis, quæ in ſacris canonibus, ſancto Concilio Tridentino, & litteris Apoſtolicis, poſt Concilium illud promulgatis, continētur, & aliis ad arbitrium noſtrum, etiam carceris, & beneficiorum priuationis, præcipimus, & mandamus, vt in ipſorum Eccleſiis reſideant, neque ab eis plus biduū abſint, ſine noſtra, vel Vicarij noſtri licentia; qua impetrata, cum reuerſi fuerint, nos de reditu certiores faciāt. Alioquin pro abſentibus habeantur. Abeſſe autem intelligātur, cum extra parochiam pernoctant. Mandamus etiam ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, omnibus, tam ſecularibus, quàm regularibus ſacerdotibus ad confeſſiones audiendas admiſſis, ne eos, qui ab Eccleſijs, apud quas tenentur reſidere, abſuerint, à peccatis abſoluere audeant, niſi eoſdem intellexerint ſtatuiſſe in poſterum reſidere, ac fructus percæptos reſtituiſſe pro rata temporis, quo ſine licentia extra curæ locum permanſerint, vel de illis reſtituendis, eo, quo potuerint cauiſſe modo, vel eoſdem ipſis à ſede apoſtolica condonatos fuiſſe. Reſidere autem intelligantur illi quidem, qui in ciuitate Eccleſias habent, cum in ea manent; qui autem in diœceſi, cum intra parochiæ limites, vel in loco ad curam exercendam arbitrio noſtro accommodato, habitant. Ne quis verò huic noſtræ conſtitutioni fraudem facere queat, ſtatuimus, vt parochialium rectores, cum ad ciuitatem veniunt, id nobis, vel Vicario noſtro intra biduum ſignificent, & quandiu in ciuitate ſint permanſuri. Mandamuſq; omnibus foraneis Vicarijs, & cōgregationum præfectis, vt bis ſingulis menſibus nobis indicent, quinam reſideant, quiue abſint, ex ijs, qui ipſorum

curæ, vel plebi ſunt ſubiecti: Parochi verò inferiores certiores nos faciant, an iidem præfecti debitam reſidē tiam faciant. Sciant etiam rectores ſe proprio officio minime ſatisfacere, ſi in Vicarium cura reiecta, otioſam vitā tranſigant; Sed teneri per ſe ipſos quoque curam aliquando exercere, vt, miſſas celebrare, populum docere, & miniſtrare ſacramenta; indignum enim gradu proprio iudicare non debent, ſummo Deo in illo, ad quod vocati fuerunt, munere inſeruire.

Cap. IIII.

NE contingat aliquando diebus feſtis ex eccleſiæ præcepto in parochiali aliqua miſſam nō celebrari, parochis omnibus, & alijs quomodocunq; animarū curam exercentibus, præcipimus, vt cuiuſuis Eccleſiæ feſtiuitatis honorandæ prætextu non audeant propriam eccleſiam ſine miſſa relinquere, niſi ad eccleſiā amplius mille paſſus non diſtantē, & nullo iter interſecante flumine, ſe conferant; & tunc populum præmoneant, cum ne ſine miſſa diem feſtum tranſigat, tum vt ad illud idem feſtum honorandum accedere poſsit. Hortentur etiam ſinguli parochi ſuos parochianos, vt diebus feſtis in propria parochiali Eccleſia miſſam audiant: qui etiam parochi miſſam non celebrent niſi viderint omnes pręſentes, vel maiorem eorum partem debita cum reuerentia ad illam audiendam ſe accommodaſſe.

Cap. V.

PArochi omnes penes ſe habere teneantur breuiariū, miſſale, ſacerdotale, libros vtriuſq; teſtamenti, catechiſmum, Conciliū Tridentinum, Synodales conſtitutiones, ſummam caſuum conſcientiæ, & Kalendarium.

DE DIGNITATIBVS ET CANONICIS.

Cap. I.

NEmo, qui non ſit in presbyteratus ordine conſtitutus, poſsit prior eſſe canonicorum in noſtra cathedrali; idemque obſeruari optamus in collegiatis, tàm ciuitatis, quàm diœceſis ad maiorem earũ dignitatem. Quamprimum iuxta Concilij decreta Tridẽtini, ſtatuatur, quæ præbendæ annexum habeant presbyteratus, quæ Diaconatus, & quæ ſubdiaconatus ordinẽ; vt quicunq; recepti fuerint in numerum canonicorum iuſto impedimento ceſſante, niſi ordinem præbendæ ſuæ annexum ſuſceperint, pœnas incurrant ibidem indictas. Dignitatibus etiam ſingulis quinam certus conueniensq; adnectendus ſit ordo, declarandum erit.

Cap. II.

NVnquam fiant diuinorum officiorum tẽpore conuentus, ſeu capitula à canonicis, tàm cathedralis, quàm collegiatarum.

Cap. III.

CVm iis, qui in choro ſaltẽ diebus feſtis, & in proceſſionibus, ac funeralibus almutias non deferent, perinde agetur, ac ſi diuinis eo tempore nõ interfuiſſent.

Cap. IIII.

CAnonici nobis celebrantibus miniſtrent, & in Eccleſia, dum Pontificalia exercemus, nec non diem diebus feſtis ſumus in choro, aſsideant. Frequẽter in propria

pria Eccleſia priuatim celebrent: & diebus ſolennibus miſſam decantent, iuxta ordinem ab ipſis notandum in ſyngrapha manu noſtra ſubſcribenda.

DE MANSIONARIIS.

Manſionarij ſuum ipſimet munus impleāt;atque Eccleſiæ diligenter inſeruiant. Nobis pōtificaliter celebrantibus choriſtarū officio fungātur.

DE DISTRIBVTIONIBVS.

Diſtributiones quotidianæ percipiātur tam à canonicis,quàm ab alijs tantū, qui ſint in ſacris ordinibus conſtituti,quique tàm diu,quā noctu diuinis officijs inſeruierint: & vt ſine fraude res procedat, teneantur poſthac punctatores tàm canonicorū, quàm ſacerdotū, antequam officiū propriū exercere incipiant, in manibus noſtris,vel nobis impeditis,Vicarij noſtri generalis iurare,ſe illud fideliter adminiſtraturos, atque ita ſe gerant, vt parati ſint rationes nobis, ac computum,quotieſcunq; petierimus, exhibere.

DE CHORI VICARIO.
CAP. I.

Chori Vicario ſingulis tribus menſibus mu tando teneantur omnes ſub pœna arbitrio noſtro imponenda, obedire; præſertim nobis, vel Vicario noſtro generali abſentibus: & ſub eiſdem pęnis etiam, cæremoniarum magiſtro; & choriſtis vocatis in rebus

ad eorum officia ſpectantibus pareant. In horis recitandis canonicis adhibeatur attentio: ita diſtinctè omnia vel dicantur, vel cantentur, vt ab audientibus poſſint intelligi; & ex dicendi modo, & ſtatu deuotio debita eluceſcat. Nemo audeat extra propriũ locum ſedere, vagari, nugari aliudue agere, quã vel horas cum alijs recitare, vel eos attente audire. Nemo priuatim officiũ tunc, cũ publicè horæ dicuntur, recitet. Alioquin, præterquam quod neque publico, neque priuato muneri ſatisfaciet, punctabitur, & arbitrio noſtro punietur. In choro maneant omnes debita cũ grauitate, & reuerentia: nunquam altari terga vertant; meminerintq; tunc ante Dei conſpectum exiſtere, eum alloqui, & proprias preces ad eum effundere.

Cap. II.

MOdeſtè chorum ingrediãtur tàm clerici, quàm ſacerdotes, & canonici; adeo vt ex inceſſu etiã pateat eos ad rem maximi momẽti peragendam proficiſci; ideq; faciant, cũ recedunt; & finẽ totius officij expectẽt.

DE ORGANO, CANTORIBVS, ET CLARA VOCE IN Choro legentibus.

VT in diuinæ laudis officijs, quæ debitæ ſeruitutis obſequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, & fidelium deuotio excitetur, ac pſallentes placita, grauiq; modulatione decantent: ab Eccleſijs muſica omnia, in quibus ſiue organo ſiue cantu laſciuum, aut impurum aliquid admiſtum ſit, omninò arceantur; vt do

mus Dei, verè domus Orationis eſſe videatur, ac dici poſſit. Si quis verò contra fecerit, ab officio per octo dies ſuſpendetur, aliaq; pęna arbitrio nuſtro plectetur.

NE LAICI IN PRESBYTERORVM SEDIBVS ASSIDEANT.

PRæcipimus etiam laicis omnibus, ne in ſedibus presbyterorum in churo audeāt ſedere; & ſacerdotibus, vt ſemper curent duos ex clericis ante officij tempus in choro perſiſtere, qui illos huius conſtitutionis admoneant; idque donec chorus iuxta aliàs ordinata, clauſus fuerit.

DE KALENDARIO, ET FESTIS.

Cap. I.

CIuitas tota, & diœceſis Kalendario cathedralis noſtræ vtantur, cui adijcere ſingulæ eccleſiæ debebunt; non ſine noſtro tamen, vel Vicarij noſtri generalis conſenſu; ſanctorum feſta, qui ſunt, vel titulares Eccleſiarum, vel locorum patroni, vel inde oriundi extiterunt, vel quorū aliquæ notabiles reliquiæ habētur.

Cap II.

IN omnibus Eccleſijs, tam ciuitatis quàm dœceſis ſub ſolenni ritu celebrentur feſtiuitątes vtreq; ſanctorum Chryſanti, & Dariæ martyrum, & ſancti Proſperi, necnon ſanctorum Maximi, & Venerij, & dedicationis noſtræ cathedralis. Ex quibus poſt harum conſtitutionum

num publicationem intelligantur eſſe ex præcepto colenda, & tanquam ex præcepto colenda, à parochis omnibus opportuno tempore publicari debere feſta ſanctorum Chryſanti, & Dariæ de menſe Decẽbri, ſancti Proſperi de menſe Iunio, ſancti Maximi, & dedicationis cathedralis Eccleſiæ.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

CAPVT I.

ITa ſanctis moribus ornati ſint presbyteri, & clerici omnes, vt nullam laicis ſcãdali occaſionem præbeant; ſuamq; ſtudeant vitam ad ſacrorum canonum decreta conformare. In primis autem, quę hic annotantur inuiolabiliter obſeruent; ſub pęnis arbitrio noſtro infligendis; præter eas, quæ in edictis noſtris continentur, quas hic innouamus. Sacerdotes omnes, & clerici in minoribus ordinibus conſtituti, qui beneficia obtinent, omnino; alij autem, ſi priuilegijs, clericis conceſſis gaudere cupiunt; clericalem habitum, cũ tonſura, continuè gerant: à veſtibus ſericis abſtineant: ſint veſtes vſque ad talos demiſſæ; in itineribus tamen breuiores eſſe queant; coloris nigri; cõſtituti duntaxat in dignitate, & gradibus inſigniti vti poſſint mantelletis, ex quibus brachia exerantur: fæmoralia nõ ſint inflata, neque inciſa, vt ne calcei quidem: camiſiæ nulla in parte criſpatæ, ſeu laboratæ: pileis non vtantur, niſi neceſſitatis gratia, qui tamen in eccleſijs nunquam permittantur: annulos non deferant, niſi ſint in dignitate conſtituti, vel doctores: Ab alea penitus abſtineant; ne-

quę ſint eiuſmodi luſus ſpectatores; non ludant etiam permiſſos ludos publicè; neque vbi, aut quando aliqua ſcandali occaſio ſuppeditari poteſt; laruati nō incedant: choreis non interſint, à cuiuſuis mulieris cohabitatione abſtineant, niſi nos conceſſerimus: Venationem à ſacri canonibus interdictam non exerceant: Tabernas non ingrediantur, niſi itineris, & neceſsitatis gratia: Ab artibus, & officijs abſtineant, quibus clerici per ſacros canones prohibentur: Mercaturæ operam non dent: Res immobiles ſine noſtra licentia non conducant; Domos tàm Eccleſiarum, & beneficiorum, quàm patrimoniales fœminis ſuſpectis, vel infamibus perſonis non locent, neque vllo modo eas in illis commorari patiantur: ſine licentia noſtra laicis non inſeruiant, in eorū domibus manentes: noctu non vagentur, niſi neceſſitatis cauſa, & cum lumine: In vijs non canant, neque muſica vlla inſtrumenta pulſent. Arma non deferant, niſi ex noſtra conceſsione, vel cum per loca minus tuta iter faciūt. Domum meretricis, vel mulieris de incontinentia ſuſpectæ non ingrediantur; alioquin præter pęnas in Concilio Tridentino, & edictis noſtris indictas, pro culpæ modo punientur.

Cap. II.

PRiuilegio, quo gaudent clerici in occidendis animalibus ad victum neceſſarijs non abutantur; neque eas carnes laicis vendant, ſed in vſum ſolum proprium conuertant. Non ſint, niſi pro ſe ipſis, procuratores, pro domo propria, & miſerabilibus perſonis, permiſſu tamen noſtro, vel Vicarij noſtri generalis; idque nulla cōſtituta, vel expectata mercede. Non ſe immiſceant vniuerſitatum negotijs. Geſtent ſacerdotes barbam à ſu-

periori labro ita detonſam, vt nullo modo pili ſanctiſſimum corpus Chriſti tãgere, dum illud ſumitur, vel aliàs ſumendo ſacramento impedimentum afferre valeant. Caueant, ne aliorum curam, & tutelam acceptent: neque ſine noſtra, vel Vicarij noſtri generalis licentia, pro laicis fideiubeant.

DE ECCLESIIS.

Cap. I.

QVæ in viſitatione, tam Apoſtolica, quàm noſtra, ad inſtaurarionem, & ornatũ Eccleſiarum, & Oratoriorum ſpectantia conſtituta ſunt, quamprimum, ac omninò intra terminum in illis præfixum abſoluantur. Curent Vicarij, Canonici, & præfecti congregationum, etiam per ceſſationem à diuinis; ſi aliàs fieri non poterit; vt diuinorum officiorum, & prædicationis tempore deambulationes de Eccleſiijs, nugę, clamores, & riſus plane tollantur. Itemque prouideant, ne mendici per eas vagentur, & eleemoſinam petant.

Cap. II.

IN eccleſijs, earumq; porticibus & cœmiterijs nihil venale exponatur, neque vllo vnquam tempore liceat conuiuia, vel quaſuis comeſſationes, & compotationes ibi facere, aut ſupellectilem vllam habere: Nullus ibi choreis, tripudijs, aut ludis ſit locus: quod vt melius ſeruetur, dabunt operam parochi, & regulares etiam, vt quamprimum cœmiteria occludantur, & munda conſeruentur.

Cap. III.

ECcleſiarum portæ, ſacris abſolutis officijs, quæ ante meridiem celebrantur, ſtatim claudantur; neque aperiantur, niſi dum primum campanæ pro veſperis audiri cœperint: Veſperarum, & Completorij diuino officio, iterum obſerentur; excepta cathedrali, & collegiatis inſignibus, & eccleſia, in qua oratio ſanctiſſimi Sacramenti erit; In quibus poſt veſperas fores patere poterunt, vſque ad ſignum ſalutandæ Beatæ Virginis datum; vt laici in eas ad id deuotè agẽdũ poſſint conuenire.

Cap. IIII.

SVmma quoque diligentia curetur eccleſiarum munditia; araneis, omniq; huiuſmodi animalium fœditate, limo, puluere, & ſitu expurgatis. Canes abigantur per clericum, vel alium ei muneri addictum. Prædicationis tempore fores plateam ſpectantes claudantur.

DE SEMINARIO.

NVnc non promulgamus conſtitutiones vllas ad Seminarium pertinentes; quandoquidem tres prædeceſſores noſtri ſumma prudentia, vigilantia, ſcientia, & integritate viri, ad formam debitam illud nondũ redegerunt; ſed incohatum tantum reliquerunt: Duabus in ciuitate inſtitutis clericorum ſcholis; ijſque adeò numeroſis, vt magni inſtar ſeminarij eſſe poſſint. Eæ vero vt in dies maiores progreſſus habeant, tam clericis, quàm eorum magiſtris, & præfectis præcipimus, vt obſeruent, & obſeruari curent omnes, & ſingulas cõnſtitutiones

tiones ad eaſdem ſcholas pertinentes. Quamuis verò adhuc non potuerimus rem adeò neceſſariam aggredi, Deo tamen fauente, breui hoc quoq; opus expediemus.

DE LOCORVM PIORVM ADMINISTRATORIBVS.

Cap. I.

Mandamus omnibus, & ſingulis adminiſtratoribus fabricarum, luminariorum, & quorumuis piorum locorum ſub excommunicationis pœna, quatenus ſingulis annis adminiſtrationis rationem nobis reddant; Eiuſdemq; muneris cauſa, ea omnia religioſè præſtent, quæ præſtare debent, ac ſolent. Quod, vt ſaluo omnium iure præcipimus, ita ipſos adminiſtratores admonemus, eorum intereſſe, vt quam poſſunt piè, & cautè rem curent.

Cap. II.

EOſdem etiam adminiſtratores quocunque nomine vocentur admonemus; non poſſe illorum locorũ redditus totos, vel eorum partem, in alia opera impẽdere, quàm illa, ad quæ deſtinati ſunt: mandamuſque Vicarijs foraneis, & congregationum præfectis, vt diligenter hæc inquirant, & nobis denuncient; ijdemq; vnà cum adminiſtratoribus prædictis intra ſex menſes inuentarium omnium bonorum tàm immobilium, quàm mobilium, omnium locorum piorum teneantur conficere; & vnum exemplum authenticum ad nos in archiuio noſtro ſeruandum, deferre; & aliud penes ſucceſſores ſuos relinquere.

Cap. III.

TEneantur Notarij omnes, qui rogati ſunt de legatis, & hæreditatibus ad pia loca, vel pias perſonas pertinentibus, nobis intrà menſem ab huius conſtitutionis publicatione, illa manifeſta reddere: eos item, qui pecunias eundem in modum addictas, in bona immobilia impendendas, habent, idem efficere; et qui alia quauis occaſione, & prætextu, bona aliqua eccleſiaſtica, vel ad pia loca ſpectantia; etiam minimi valoris; poſſident, nobis ſignificare. Eos præterea, qui nihil eiuſmodi detinent; ſed ſciunt aliquid ab alijs indebitè detineri; eos de eo certiores facere, teneri volumus.

DE REBVS ECCLESIASTICIS NON ALIENANDIS.

Cap. I.

ECcleſiaſtica bona immobilia alienare, inconſulta ſede Apoſtolica, nemo audeat. Mobilia, verò ornamenta eccleſiaſtica, vaſa, veſtes, aliaque huiuſmodi Eccleſiæ deſtinata, ſine noſtra licentia non ſolum Hebræis, ſed ne Chriſtianis quidem pignori dare nemò præſumat.

Cap. II.

NEmo ſine noſtra, vel Vicarij noſtri generalis licentia, audeat ligna, quæ cędi non ſolent, incidere in bonis eccleſiarum, beneficiorum, & locorũ piorum, vel etiam incidi facere, ſub pœna amiſsionis lignorum, & vnius aurei pro ſingulis plauſtris.

DE

DE REGVLARIBVS.

Cap. I.

OMnes regularium ſuperiores in domino rogamus, vt diligentes ſint in inueſtigãda ſibi ſubiectorum vitâ, & ſcientia, antequam aliquos ad nos mittant, pro audiẽdi confeſſiones, vel prædicandi licentia obtinenda; vel prò ſacris ordinibus ſuſcipiendis; ne à nobis poſtea reijciantur. Curent vt in ſuis monaſterijs ſacra lectio non deſit: ſeruent litteras Apoſtolicas, & conſtitutiones noſtras ad Eccleſiarum cultum, ornamenta, vel cæmeteriorum clauſuram pertinentes: miſſarum oneribus exactè ſatisfaciant; & iccirco librum, tabulamq; habeant, in quibus omnia mortuis debita officia, ac miſſarum onera deſcripta ſint: ad proceſſiones publicas ea, quâ vocantur, hora, accedant: non audeant miniſtrare ſacramentum pænitentiæ, niſi approbati. In noſtris eccleſijs non concionentur, ſine noſtra licentia; & in ſuis ſine noſtra benedictione. intra monaſteriorũ ſepta mulieres nullo modo recipiant, admittantuè. feſta ciuitatis ſolenniter celebrent, Sanctorum ſcilicet Patronorum Chryſanti, & Dariæ, Proſperi, Venerij, & Maximij & dedicationis noſtræ cathedralis: cenſuras, & interdicta à nobis emanantia in ſuis eccleſijs publicent, & edicta etiã noſtra, quę in alijs eccleſijs publicari mandauerimus. Ne in proprijs quidem eccleſijs curam animarum exercere audeant, niſi à nobis approbati, & confirmati fuerint. Qui verò monialium curam gerunt, ſeruent, quoad clauſuram, quæ a ſummis pontificibus, ac ſacris Concilijs, præſertim Tridentino, itemq; ab Apoſtolico viſitatore, & à nobis in viſitatione conſtituta ſunt.

Cap. II.

IN ciuitate autem Regienſi proceſſiones publicæ, & generales eſſe intelliguntur infraſcriptæ, videlicet diei ſanctiſsimi Corporis Chriſti; Rogationum; & ſancti Marci; & quando propter publicam cauſam, vel mandato Sedis Apoſtolicæ indicuntur.

DE MONIALIBVS.

MVlta ſane de monialium vita, & conuerſatione dicenda, ac decernenda eſſent; ſed quia nuper eis, quæ nobis ſubiectæ ſunt, tradidimus conſtitutiones ad earum vitæ normam ſpectantes, nihil aliud nobis nunc viſum eſt, illis præcipere, niſi, vt eaſdē conſtitutiones ad vnguem obſeruent, ac omninò caueant, ne quid contra eas committere deprehendantur. Generaliter autem omnes monemus; etiam exemptas; ne aliter, ac licet, intra monaſterij clauſtra admittendo, in excommunicationem per eas hinc inde incurratur; nequè ſine licentia ad earum colloquium accedentes audiant, ne peccandi occaſionem illis præbeant, & ipſæ quoque delinquant: cum monaſterium ingreſſæ ſint, vt contemplatiuæ vitæ inſeruiant, non vt negotijs ſecularibus ſe implicent. Locis enim allocutioni deſtinatis, neceſſitatis ſolum, & pietatis, charitatiſq; cauſa vti debent. Caueant etiam, ne numerum excedant, quē viſitator Apoſtolicus ſingulis monaſterijs præſcripſit.

DE

DE CONFRATRIBVS.

CAP. I.

VT facilius,ac libentius parochiani conueniant ad comitandum ſanctiſſimum Sacramentum; dum varias, & peramplas indulgẽtias de tam pio opere percipiũt; decernimus, vt quam primum in ſingulis parochialibus, tam ciuitatis, quàm diœceſis, confraternitates ſub eiuſdem ſanctiſſimi Sacramenti nuncupatione, vbi non ſunt, inſtituantur.

CAP. II.

CVm ij, qui propiore loco in Dei ſeruitute occupantur, magis etiam ſanctificari debeant; hortamur ſingulos, qui in huiuſmodi confraternitate deſcripti fuerint; vt ſaltem ſingulis menſibus propria peccata confiteantur ſacerdoti à nobis probato, & ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumant: id etiam alij, qui in cæteris confraternitatibus, quocunque nomine nuncupentur, tàm ciuitatis, quàm diœceſis, deſcripti ſunt, facere ſtudebunt; cum ij, qui pro alijs Deum rogant, frequẽtius etiam debeant eius expiari ſacramentis. Nos autem ad eas commodius adminiſtrandas, communem omnibus conſtitutionum librum edendum curabimus, quas vnaquæquè obſeruare teneatur.

CAP. III.

COnfratres omnes tàm ſanctiſſimi ſacramenti nuncupati, quàm alij, in proceſſionibus, & funeralibus modeſtè, ac deuote incedant; litanias, pſalmos, & alias orationes recitando, vel cantando, aut ſilentium ſeruan-

do: neque ex eccleſia, in qua miſſa proceſſionis cantatur, diſcedant, niſi ea perfectè expleta: neque cùm funus proſecuti ſunt, à loco, quo deductum eſt, recedant; niſi peracto officio; & ad locum ſepulturæ corpore delato.

DE RELIQVIIS.

Cap. I.

NOuæ reliquiæ; quæ ſcilicet iam diu tanquam veræ receptæ non fuerunt; ſine noſtra licentia nunquam populo ſpectandæ exhibeantur; neque in altari collocentur: ſed honeſto in loco in ſacriſtia cuſtodiantur.

Cap. II.

CVm reliquiæ coram populo, & palàm proponuntur, vel ad altare deferuntur; id ſemper cum debito honore, & reuerentia fiat: adhibitis etiam luminibus: quod præſertim ſeruetur, cum publicè geſtantur. Eas ſoli ſacerdotes tàm in proceſſionibus, quàm ex ſacriſtia ad altare deferant: ſintque tunc cum ſtola ſuperpelliceo induti.

Cap. III.

CVm cruci debeatur adoratio latriæ; cauendum valde eſt, ne humi ſculpatur; aut in locis turpibus pingatur; ne vel ignominia afficiatur; vel pedibus conculcetur.

DE

DE INDVLGENTIIS.

NEmo parochus, vel prædicator, vel alius quiuis, indulgentias vllas publicare audeat, quocunque prætextu; niſi à nobis viſas, & de noſtra, vel Vicarij noſtri generalis licentia: neque aliquem publicè commendare præſumat, vt eleemoſina colligatur; niſi ſimiliter de noſtra ſcientia, & licentia. Parochis tamen haud interdicimus, ne infirmos, vel aliàs parochiæ ſuæ miſſerrimos parochianis ſuis commendent.

DE QVAESTVARIIS.

QVæſtuarios etiam omnes, tam clericos, quàm laicos, exceptis ijs, quibus à iure permiſſum eſt; impediant parochi, ne eleemoſinam flagitent; niſi videant litteras patentes à nobis, vel à Vicario noſtro ſubſcriptas, & ſignatas cũ notarij etiã noſtri ſubſcriptione: cũ ſæpè contingat, vt ſub habitu religioſorum, fures, & peſſimorũ morũ homines deliteſcant.

DE CONSTITVTIONVM OBSERVATIONE.

Cap. I.

HAec omnia, vt melius obſeruentur; præcipimus, omnibus ſacerdotibus, & clericis beneficia poſſidentibus, aut in ſacris ordinibus conſtitutis; vt has conſtitutiones imprimendas, penes ſe à die publicationis poſt duos menſes habeant, et inuiolabiliter ob-

ſeruent. Vicarij præterea foranei; & congregationum in vniuerſa diœceſi noſtrâ præfecti; dent operam, vt ſæpè coràm claſſis propriæ ſacerdotibus, & clericis perlegantur; & ſub ſuſpẽſionis à diuinis pœna, & alijs arbitrarijs, diligenter inquirant; an aliqui ſint, qui contra eas committant, & nos de omnibus huiuſmodi delictis quamprimum reddant certiores.

CAP. II.

QVia multæ conſtitutiones ſunt, in quibus nulla pœna adiecta eſt; quamquam icciro id factum eſt, vt, quod valde optamus; omnes Dei potius timore cõmoti, quàm pœna aliqua perterriti hæc noſtrâ decreta obſeruent; ne tamen contumaces inde peccandi occaſiones arripiant; declaramus, vbi propria pœna non eſt appoſita, intelligi arbitraria pœna debere puniri, præter eas, quas ſacri canones impoſuerunt.

CAPITVLVM OMNIS VTRIVSQVE SEXVS DE PAENITENTIIS, & remiſſionibus.

OMnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti, & iniunctam ſibi pænitentiam poprijs viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in paſcha Euchariſtiæ ſacramentum: Niſi forte de proprij ſacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptionem duxerit abſtinendum: alioquin, & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur,

ceatur, & moriēs Chriſtiana careat ſepultura. Vnde hoc ſalutare ſtatutū freq̄uēter in Eccleſijs publicetur, ne quiſquam ignorantię cęcitate velamen executionis adſumat. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio ſacerdote, cum aliter ipſe illum nō poſſit abſoluere, vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, vt more periti medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circunſtantias, & peccati: ex quibus prudenter intelligat, quale debeat ei prębere conſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere diuerſis experimentis vtendo ad ſaluandum ægrotum. Caueat autem omninò, ne verbo, aut ſigno, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: Sed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque vlla expreſſione perſonæ, caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolum à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pænitentiam in arctum monaſterium detrudendum.

CA-

CANONES PAENITENTIALES ANTIQVI.

Dominus Gulielmus Durantis in ſuo repertorio, rubrica de pęnitentijs à canonibus conſtitutis, ita dicit.

Cap. XIX.

SCiendum eſt, ꝙ menſuram temporis in agenda pænitentia ſatis præfigunt canones pro vnoquoq; crimine : ſed magis in arbitrio ſacerdotis ſtatuunt relinquendum : dum pro quibuſdam culpis modi pænitentiæ ſunt impoſiti:quos inferius ſupponemus, & hæc leguntur . De pęni. diſ. 1. c. Menſuram.& facit. 25. q. 7. cap. Tẽpora . Vbi ergo certa pęnitentia ſtatuta eſt à canone, illa eſt indicẽda: alioqui falſa dicitur pænitentia, quæ non datur ſecundum canones : ſi eſt à canonibus diſtincta. De pæni. diſtin. 5.cap. falſas. ꝙ ſi diſtincta nõ ſit,arbitrio relinquitur imponentis: vt in prædictis cap.& extra de pęn.& remiſ. cap. quæſitum &.cap.ſequenti.de offi.deleg.cap. In cauſis. de Accuſa. cap.Super his. Et hoc eſt quod in canone dicitur : De pondere delictorum exiſtimando, ſacerdotum eſt exiſtimare, vt attendat ad confeſſionem pęnitentis,& ad fletus, & lacrymas corrigentis . De pęnitentibus ſic tantum moderetur : ne eccleſiæ vileſcat authoritas, & ſe grauet. 50. diſt.cap. Abſit.& cap. ſeq. de pęni. diſt.1. cap. Quem pęnitet. Sed & ipſos canones pęnitentiales, quicquid alij ſolennizent, poſſunt ſacerdotes, & prælati moderari abbreuiando, vel prote-

lando

lando tempus pęnitentiæ, prout delicti monet qualitas, & circunſtantiæ requirunt: vt in prædicto cap. menſurã. & 50. diſt. de his clericis qui. & cap. Hi qui aliàs. & expreſſe. extra eodem. Deus. vbi pro homicidio, adulterio, & fornicatione mandatur ad arbitrium ſacerdotis imponi: cum tamen ſit à canonibus diffinita, vt inferius apparebit. Nec obſt. prædicto cap. falſas, quia intelligitur illud, niſi ex cauſa moderetur. 29. diſt. cap. 1. Et ſic illud ſecundum prædicta iura determinatur. ff. de legiti. ſed & poſteriores. Breuiter ergo commemoremus canones certas pęnitentias iniungentes. Qui autem vult ſcire modum pęnitentiæ imponendę pro homicidio, & alijs criminibus, videat extra de homi. ſicut dignum, & c. 2. & 3. de pęni. diſt. 5. c. 1.

Debet ergo pænitere ſacerdos committens fornicationem decem annis 82. diſtin. cap. Presbyter. Ibi etiã habetur, qualiter hoc tempore pęnitebit.

Accipiens ſponſam alienã de præſenti ſeptẽ annis, & 40. diebus in pane, & aqua, extra de ſponſa duorũ ca. 2.

Deuota, ſeu monialis, quæ fornicatur, ſeu matrimonium contrahit: & cognoſcens eam, vel contrahens cum ea, decem annis pęniteat. 27. quæſt. 1. deuotam. & cap. ſeq.

Cantans miſſam & non communicans, vno anno pęniteat, nec interim celebret. De conſe. diſt. 2. relatum.

Sacerdos mortuum pallijs altaris inuoluens. 10. annis, & 5. menſibus: diaconus tribus annis cum dimidio. De conſe. diſt. 1. Nemo.

Presbyter in caute verberans, quomodo puniatur 15. q. 1. c. ſi quis non ira. 23. q. 4. ca. quæ peccat.

Falſarius, quandiu viuit, in pane, & aqua pęniteat. De verb. ſignifi. nouiſſimus.

Scienter

Scienter contrahens, vel coiens cũ duabus ſororibus, vel commatribus, vel ſorore, commatre, & filia: vel vna cum patre, & filio, vel duobus fratribus, & ſic de alijs, octo annis pęniteat 30. q. 4. Si pater, & c. fi. 32. q. 7. c. ſiquis viduam, & c. ſeq.

Ignoranter cognoſcens duas ſorores, vel matrem, & filiam: vel amitam, & neptem: quarum vna ignorat de altera, vterque 7. annis pęniteat: ſi verò ſcienter, perpetuo careat coniugio 33. q. fin. 35. q. 3. cap. ſiquis cum matre, & cap. ſeq.

Quomodo ſit iniungenda pænitentia mulieri partũ ſupponenti, vel de alio viro concipiẽti, extra de pęniten. & rem. cap. Officij.

Sacrilegus chriſma vel calicem ſacrum polluens 7. annis pęniteat. In duobus non intrabit eccleſiam, & vſque ad quartum non offeret; & ſingulis ſeptimanis tribus diebus à carnibus, & vino ieiunabit, & alia quædã 12. q. 2. De viro.

Celans ſe cognouiſſe mulierem, quæ contrahit cum fratre eius, ſeptem annis pęniteat 35. quæſt. 3. Si homo fornicatus.

Solenniter pænitens, poſtea ad vomitum rediens 10. annis pęniteat. De pęni. di. 5. ſiqui vero.

Frangentes ſpoſalia filiorum: & filij ſi conſenſerint, ſi poſt diſſenſerint, 3. annis communione priuantur. 31. quæſt. 3. cap. vnico.

Contrahens cum ea, quam polluit per adulterium, 5. annis pęniteat 31. quæſt. j. cap. ſiqua.

Cognoſcens vxorem adulteratam pęnitentem, ante pęnitentiam peractam, duobus annis pęniteat. 32. q. prima. cap. Siquis 1.

Cognoſcens vxorem adulteratam, antequã pæniteat, tribus

tribus annis pæniteat. 32. q. 1. cap. Siquis.

Sacerdos qui intereſt clandeſtinis deſpõſationibus, triennio ſuſpenditur. de clan. deſp. cap. vlt.

Latro ſi vult confiteri, vel confitetur, in cœmeterio ſepelitur, & oratur pro eo: & datur ei corpus Chriſti. 13. quæſt. ſi. cap. ſi.

Qui in dicendo horas canonicas, & alia officia diſcrepat à ſua Metropolitana eccleſia ex contemptu. ca. de his. 12. diſt. per ſex menſes communione priuatur.

Interfector domini, vel vxoris, nunquam equitet: nec vehiculo vehatur: nec contrahat matrimonium: vſque ad 10. annos carnes non comedat, & vinum nõ bibat, & alia quæ habentur. 33. quæſt. 2. admonere, & c. quicunque. De diuo. c. 1.

Matris interfector armis depoſitis, 10. annis pœniteat. 32. q. 2. c. Latoré. Et cũ dicitur, quòd maior pœnitẽtia imponitur interfectori vxoris, quàm matris, dicitur quia maius peccatum eſt. 24. q. 1. Non offeramus.

Violãs votum ſimplex. 3. annis pœniteat. 27. diſt. c. Si vir.

Dicens blaſphemiam in Deum, & beatam Virginem, & ſanctos, ſeptem annis pœniteat ſecundum formam, quæ eſt extra. de maledicis. cap. ſi.

Epiſcopus inuitum ordinans in clericum ſine iuſta cauſa, per annum ſuſpenditur. 64. diſtin. c. 1.

Pro quolibet mortali peccato debet pænitere ſeptem annis. 33. quæſt. 2. c. hoc ipſum. §. Hoc quamquã. niſi plus & minus à canone imponatur, vt in præſcripto. §.

Domum vel arcam incendens. 3. annis pœniteat. de iniu. & dam. da. cap. ſiquis contra ver. incendiarius.

Comburens eccleſiam. 15. annis pœniteat: & eam reſtituat, & pretium det pauperibus. 17. q. 4. & palea eſt.

Celebrans excõmunicatus, tribus annis pœniteat. 2. 4. &

6. ferijs à vino, & carnibus abſtineat. 11. q. 3. De illis.
Degradatus celebrans, priuatur communione corporis, & ſaguinis Chriſti vſque ad vltimum diem: & in excō municatione maneat, & viaticum tantū in fine ſumat. 50. diſtin. cap. Accedens.
Epiſcopus diſſimulans corrigere venditionem miniſteriorum, duobus menſibus: ſacerdos hoc agens, quatuor: diaconus, tribus: ſubdiaconus, & alij inferiores, iudicis arbitrio, 1. q. 1. cap. quicquid inuiſibilis.
Iniuſte excommunicans vno menſe ſuſpenſus eſt de ſen. excommun. cap. Sacro.
Sacerdos accedens ad ſibi confeſſam: vel quam. fecit cōfirmari, 12. annis pæniteat: & poſt retrudatur in monaſterium. Epiſcopus annis 15. mulier verò tradatur monaſterio. 30. q. 1. Siquis ſacerdos, & c. non debet.
Scienter rebaptizatus, ſi pro hæreſi hoc facit 7. annis pęniteat: 4. & 6. ferijs, & 3. quadrageſimas in pane, & aqua. Si verò propter infirmitatem, tribus annis pęniteat. Si verò ignoranter, non peccat: ſed ideo non promouetur, licet ſit excellens. de Conſecrat. diſt. 4. Qui bis. extra de apoſta. cap. 2. & talis ſit monachus, & de foro eccleſiæ. De conſe. diſt. 5. c. Dictum.
Si epiſcopus, presbyter, vel diaconus volens eſt rebaptizatus, pæniteat quandiu viuit: alij verò clerici, monachi, & moniales ab hæreticis volentes rebatizari 12. annis pęniteant: & tribus erunt inter catechumenos: ſeptem inter pęnitentes: & annis duobus eorum oblationes non recipiuntur: pueri verò poſt reconciliationem communioni reſtituentur. De confec. diſt. 4. cap. eos quoque.
Dicens coactus falſum teſtimonium, nec ſequitur mors, duobus annis pęniteat: ſi ſponte. 5. annis. In Concil.

Ilibertano: quod eſt in antiqua decretali: De Fal.cap. primo.§. primo.

Proprium filium opprimens tribus annis, & vno in pane & aqua pęniteat: ſi ſit baptizatus. De ijs qui fi.occi. cap. fin.

Pro homine adultero, vel fornicatore, 9. annis: ſed nunc non ita aſpere, 21. quæſt. 1. prædicandum. & 33.q. 2. Hoc ipſum. & c. ſeq.

Iniuſte alium accuſans ad mortem, 40. diebus in pane, & aqua ieiunabit continue, ſiue interpollate: & per ſeptem annos pęnitebit: non tamen in pane, & aqua, ſed ad arbitrium ſacerdotis. Si verò per talem accuſationem quis accuſatus membrum perdiderit, accuſans tribus quadrageſimis ieiunabit: prima ante Natale Domini, ſecunda ante Paſcha, tertia ante feſtū S. Ioãnis: quas quadrageſimas S. Petrus inſtituit. & hæc probatur 22. quæſt. 5. c. 1. & 3. 6. q. 1. Quicunque.

Sortilegus, quadraginta dies. De ſortil. cap. 1. in antiqua decretali. eo. tit. cap. Reliquiſti.

Reſpiciens furta in aſtrolabio, duobus annis pęniteat. De ſortileg. cap. 2.

Parochus res eccleſiæ dilapidans, vno anno excommunicatur. 16. quæſt. 7. Finis.

Luſtrans domum cum magicis, vel incantationibus, vel aliud faciens, & qui ei cõſentit, & conſulit, 5. annis pęniteat 26. quæſt. 5. cap. qui diuinationes, & cap. niſi liceret 1. quæſt. 1. cap. 1.

Iurans non redire ad pacem, vno anno pęniteat. 22. q. 4. cap. Qui ſacramento.

Incendiarius vno anno erit vltra mare, vel in Hiſpania: & qui hanc pęnitentiam relaxat, vno anno ſuſpenditur 23. quæſt. fin. c. Peſſimam. Hodie à ſolo Papa ab-

ſoluuntur. De ſenten. excommunica.cap. Tua.
Filiã vel ſororẽ ſpiritualẽ cognoſcẽs matrimonialiter, & ei cõſentiẽs, ſeptẽ annis pęniteat. 30. q. 3. nõ oportet.
Si gutta ſanguinis Chriſti cadit in terram, ſacerdos quinquaginta diebus pęniteat: ſi ſuper altare, & tranſit ad vnum pannum, duobus diebus: ſi vſque ad 2. quatuor diebus: ſi vſque 3. 9. diebus: ſi vſque ad 4. 20. diebus. De conſe. diſt. 2. Qui bene.
Si incautę dimiſit, quamuis nil nefandi acciderit, tribus mẽſibus ab officio ſuſpẽdit. extra de cuſto. eucha. c. 1.
Occidens iudęum, vel paganum, quadraginta diebus.
Occidens per inſaniam nõ imputatur. 3. q. 9. Indicas. 15. quæſt. 1. aliquos. & cap. Illa, & cap. ſiquis.
Homicida epiſcopus. 15. annis, pęniteat, & deponatur: & ſemper peregrinetur. Presbiter. 12. annis, & tribus ex his in pane, & aqua, & deponatur: & diaconus decẽ annis, & tribus in pane, & aqua. 50. diſt. Siquis homicidium. Palea eſt.
In neceſſitate ineuitabili: nihil quo ad peccatum 50. diſt. cap. Quia te: ſed quo ad munditiam eccleſiæ oſtendendam ſic. 34. quæſt. 2. cap. In lectum, & ad cautelam cum eo diſpenſandum eſt.
Pro inceſtu, vel coitu contra naturam, vel cum brutis, pluſquam 7. annis: quia clericus deponitur, laicus excommunicatur. 33. quæſt. 2. §. Hoc quicquam; & ca. præcedenti. De exceſ. præl. cap. Clerici.
Pro caſuali homicidio 5. annis pæniteat. 58. diſt. Eos qui, & cap. ſeq.
Pro voluntario, ſine ſpe reſtitutionis deponitur: & ſeptem annis pæniteat 50. diſt. c. maior.
Occidens clericum, aut monachum, diaconum, vel ſubdiaconum, ſemper erit in monaſterio, nunquam ad
ſeculum

ſeculum reuerſurus: & ſeptem annis pænitentiam publicam agat,& arma relinquat 17.quæſt. quarta cap. Qui occiderit.

Contrahens contra interdictum eccleſiæ, pæniteat vno menſe, vel ad arbitrium extra. de matrim. contra interd. eccl. contra. cap. 1.

Sacerdos ſe defendendo latronem interficiens, duobus annis. de homic.cap. 2. nunc per clemen. aliter ordinatur. De homicid. cap. In clemen.

Reuelans peccatum pęnitentis deponitur, & ad agendā pęnitentiam in monaſterium retruditur.de pęni.diſ.6. cap.ſacerdos.De pęni.& remiſ.ca.omnis.

Vomens euchariſtiam per ebrietatem, ſi laicus eſt, quadraginta diebus: ſi clericus, ſexaginta: ſi epiſcopus, nonaginta diebus:ſi infirmus, ſeptem diebus. de conſecra.diſt.& cap.Siquis per ebrietatem.

Pro periurio,quadraginta diebus in pane, & aqua per ſeptem annos:& ſemper erit in pęnitētia.ſ.interiori 6. quæſt.1.cap. Quicunq; 22.q.1.Prædicandum.

Compulſus conditionaliter deiurans ſi eſt liber 10. dies: & 7.ſequentibus annis: ſi ſeruus,tres quadrageſimas, & legitimas ferias 22.quæſt.5.ca. 1.

Periurans in manu epiſcopi: vel in cruce ſacrata, tribus annis: in non ſacrata, vno anno: ignoranter, & coactus, tres quadrageſimas 22. quæſt.5. c. 2.

Scienter falſum iurans, vel alium iurare compellens 40. dies in pane,& aqua,& ſeptem annos pęniteat 22.q. 5.cap.Siquis conuictus.

Deiurans pro perſona,& rebus, vel pro aliqua neceſſitate, tres quadrageſimas, vel 3. annos:& vnum ex illis in pane,& aqua,22.q.5.Siquis coactus.

Qui contra ſuum iuramentum in domini mortem machinatur,

natur, vel in eius regnum, ſeculum, & arma relinquat, & in monaſterium detrudatur, & toto tempore vitæ ſuæ pęniteat, & in fine tantum communionem accipiat: ſi verò fuerit epiſcopus, presbyter, aut diaconus, degradetur. 22. quæſt. quinta cap. ſiquis laicus: palea eſt.

Pro falſa menſura 30. diebus in pane, & aqua ieiunet. extra de emptio. & vend. cap. 1.

Presbyterum interficiens, 12. annis pęniteat. extra de pęnit. & remiſ. cap. 2.

Communicans hæretico inſcius, & ex negligentia recipiendo, vel dando communionem, vno anno. Si vero ſcienter, 5. annis: quòd ſi neſciens permittat eum in eccleſia celebrare, 40. diebus, ſi vero propter reuerentiam, vnum annum: ſi ad ſubuerſionem fidei, 10. annos: ſi autem fuerit hæreticus, 12. annos pęniteat, 24. quæſt. 1. Siquis dederit.

Raptor, ſeu fur, ſeu direptor reddet in quadruplum eccleſiæ ornamenta: alterius, duplum, & 7 annis pæniteat, tres in pane, & aqua 17. quæſt. quarta. palea eſt.

Clericus fur, vel effractor, ſeptem annis: laicus, quinq;: ſed ſi vilis erat res, vel bis furatus eſt, reddat: & anno pęniteat in pane, & aqua, 17. quæſt. 4. cap. Siquis clericus. palea eſt.

Manum in epiſcopum, vel presbyterum mittens, & eccleſiam vaſtans, aut impugnans, vel incendens, omnibus bonis proſcribitur: & ſemper in monaſterio incluſus pæniteat, 24. quæſt. 3. cap. Quiſquis per dolum. palea eſt.

Hoc autē adnotatione dignū eſt, quòd vbi ponitur pęnitentia, ſeptē, trium, vel pauciorum annorum, vel quadrage-

dragesſimarum à iure, & non adiungitur qualiter illo tempore debeat quis pænitere, hoc relinquitur arbitrio ſacerdotis: cum pænitentiæ ſint arbitrariæ: vt prædixi in principio huius tractatus de pænitentijs à iure impoſitis. Ipſe verò ſacerdos arbitrabitur eam per legitimas ferias faciendam, ſecundum canones 11. quæſt. 3. De illis. 50. diſt. De his clericis, 82. diſtin. cap. Presbyter. 1. extra de homi. ca. & in alijs multis. & ſic intelligo extra de accuſ. de his qui fil. cap. fi. de ſponſa. duorum ca. 2. 22. quæſt. quinta. cap. primo.

Hæc Dominus Gulielmus Durantis Speculator.

ERRATA.

2. 14.Adhuius Adhuiuſmodi
3. 16.feſtis,choreis feſtis choreis
6. 7. ediſcedendam,ediſcendam.
7. 23.defferant, differant.
14.6. eodem, de eodem.
20.22.In ſacramēto, In ſacroſancto
20,26.Committetur,committitur.
27.13.natiuitates, natiuitatis.
34.22.querellæ, querelæ.
39.21.arbitramur, arbitrabimur.
40.5. additione, addictione.
40.27.promouecti, prouecti.
42.31.videtur videntur.
47.7. eos. eas.
48.22.Cap. VII. Cap. II.
48.23.dœceſis, diœceſis.
50.6. ſacri, ſacris.
51.22.cœmiterijs, cœmeterijs.
51.28.cœmiteria, cœmeteria.
54.30.ſignificare.Eos ſignificare; eos
54.18.Mobilia, verò ornamenta, Mobilia verò, vt ornamēta.
56.25.nunerum, numerum.
59.10.miſſerrimos, miſerrimos.
60.28.perceptionem, perceptione.
61.2. executiones, executionis.
61.13.caueant caueat